HYPOCHONDRIASIS

DISPUTATIONE INAUGURALI

PRÆSIDE

GEORG. MATH. GATTENHOFF

PHIL. ET MED. DOCT. PRAX. MAT. MED.
ET BOTANICES P. P. O.

IN ANTIQUISSIMA PALATINORUM ACADEMIA

PROPOSITA

AUCTORE

FRANCISCO ZUCCARINI

AA. LL. ET PHIL. MAG. SATRAPIÆ MOSBAC.
PHYSICO ADJUNCTO.

DIE FEBR. A. D. MDCCLXIX.

HEIDELBERGÆ

TYPIS JOAN. JAC. HÆNER, TYPOGR. AULICO-ACADEMICI.

SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO

PRINCIPI, ET DOMINO

DOMINO

CAROLO

THEODORO

COMITI PALATINO RHENI,

S. R. I.

ARCHI-THESAURARIO

ET

ELECTORI,

BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM DUCI, PRINCIPI MOERSIÆ, MARCHIONI BERGÆ AD ZOOMAM, COMITI VELDENTIÆ, SPONHEMII, MARCHIÆ, ET RAVENSPURGI, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN, &c. &c. &c.

DOMINO, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME
AC
POTENTISSIME
S. R. I.
PRINCEPS ELECTOR!
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

Quod academica ſalutaris artis ſtudia amplecti, proſequi, & abſolvere valuerim; quod hujus exercitio ſortis tandem ſecundæ ſpes in ipſa patria mihi affulgeat; TUÆ, CLEMENTISSIME PRINCEPS, *benignitati, tutelæ, gratiæ debeo.*

Ea jam eſt, SERENISSIME ELECTOR, TUÆ *in omnes ſcientiarum cultores munificentiæ & gratiæ vis, ut non ſubditorum modo omnium, ſed*

&

& aliorum quam plurimorum animos TIBI *devinxeris: in hoc clientum* TUORUM *infinito propè numero nulli ego, humillima ac devotissima mente* SERENISSIMUM TUUM NOMEN *colendo, gratissimaque pro beneficiis memoria & in cineribus meis venerando cedam.*

Vivum hujus meæ pietatis, gratitudinis ac profundissimæ subjectionis pignus, dissertationem hanc inauguralem, ad excelsum ELECTORALIS SERENITATIS TUÆ *thronum humillime advolutus* TIBI, CLEMENTISSINE PRINCEPS *ac Patriæ*

Patriæ PATER *offero: munuſculum ſoli* TIBI *debitum, ac utut leve,* CLEMENTISSIMA TUA *manu vel ex eo dignum, quod* SERENISSIMUM TUUM NOMEN *ſingulari* TUA IPSIUS *venia ſibi inſcriptum præ ſe ferat.*

Hoc, ſi ea, qua ſemper ſoles, CLEMENTISSIME PRINCEPS, *ſerena fronte ſuſcipias; inter omnes, queis unquam licuit laborum ſuorum primitias* SERENISSIMO TUO NOMINI *ſacrare, me ſemper feliciſſimum lætabor.*

Vale

Vale SERENISSIME ELECTOR; QUI *ut ſemper valeas, cum patria cumque Muſis Palatinis opto & precor*

ELECTORALIS
SERENITATIS
TUÆ

Devotiſſimus ac Subjectiſſimus cliens.

Franciſcus Zuccarini.



§. I.

Morbus, a viſcerum ſub hypochondriis ſitorum adfectione a veteribus jam notatus, varia toties ſymptomatum ſyndrome illudens, inſulſoque a Gallis vaporum (les vapeurs) titulo illuſus, potiſſimum litteratorum miſerum ſtipendium audiit, nunc ſuo in plebem ipſam dominio, Medicorum conſilia ingeniaque fatigat; ut tum a ſua noſtro ævo frequentia pertractationem academicam mereatur, tum ut a vagis vulgi ac Medicorum quorundam præjudiciis in tyronum gratiam ſalutisque publicæ commoda depuretur.

§. II.

Varia naſcentis mali, varia adulti facies eſt. Lentis plerumque gradibus obrepit; aliquando ſub diuturna animi occultaque ægritudine, mœrore ac tacito curarum morſu, ſubita adfectuum, plerumque ſpaſticorum, fallaci vehementia erumpit.

1. Inſolita quædam preſſionis in præcordiis moleſtia a cibo capto, facilisque nec adpetitui nec cibi modo reſpondens ſatietas, cum levi dyſpnæa, laſſitudinis inſueto ſenſu, meridiani ſomni cupidine, accedentibus brevibus cordis palpitationibus, ſomnique nocturni excuſſa ſubito jucundia, initia ducunt, plerumque contempta; flatuum fatigant moleſtiæ, multiſonoque murmure venter flagrat; atque in hos, dum moleſtiarum ſuarum cauſas refundunt, facile ſibi ſatisfaciunt, ac in eſſentiarum ſuarum ſtomachicarum uſu, addito a cibis ſo-

lertiori Coffeæ potu, adquiefcunt; vini faltem generofioris ufui eadem ex medela vacant, atque nonnifi leni addita crapula vefpertina, fomni quietem conciliant; alimenta interim duriora toties melius, quam molliora tolerant digeruntque.

2. Pluribus licet a prandio cœnave hæ moleftiæ fint; videris nihilominus, quos ventriculi potius vacuati tempore, circa vefperum, ante cœnam maneque, incommoda premunt fingularis, quam explicare nequeant, anxietatis, absque ulla quidem fpirandi difficultate, palpitantis cordis, capitis nubili, levique fed fere continua vertigine nutantis fibi vifi, fuoque, ut credunt, muneri imparis, animi inquietioris, cum levi etiam artuum tremore juncto. Quod moleftiarum genus cibo capto, continuo adeoque a fummo mane modici cibi vinique ufu, totumque vorando diem, folarentur.

3. Fugaces de nocte fomni, atque dum fenfim obrepunt, fubitis interpellati pavoribus, cum fenfu fæpe fubitaneæ, fulminei inftar ictus, vifcerum abdominalium concuffionis juncto, anxietates cum cordis palpitationibus cumulant, metuque nunc apoplexiæ, nunc catarrhi fuffocativi, nunc epilepfiæ terrent: fed rediens a fequente tranquillo demum fomno animus, manens corporis vigor & adpetitus integritas hæc folatur mala, metuque tantifper exuit.

4. Crebræ phlogofes, atque capitis præcipue, fæpe extremorum artuum incalefcentia, cum intercurrentibus etiam horroribus, aliquando majori mali gradu, continuo fere manuum pedumque frigore tremoreque, inter anxietates animi futurorumque malorum præfagia, febris ideam ingerunt, atque fub proprio mali fui continuo ftudio, perpetua pulfus proprii percontatione, febris hecticæ pavores animo volvunt revolvuntque; ac Medicos, tum ut fua, quam e venis manuum nunc valde intumefcentibus, nunc fubfidentibus colligunt, plethora per VSectiones liberentur, tum febris fuæ curationes adfignentur, a fummo Archiatrorum ordine ad infimam plebis medicaftræ fortem, ex anicularum, carnificum, quin & fæpe facerdotum, urinas ex voto olentium, claffe, per totam fenfim provinciam fatigant; fed nullorum demum, ex propria

nullius

nullius hactenus successus experientia, nisi proprii studii consentanea sequuntur consilia.

5. Febris vero, siqua veris comitatur phœnomenis, aut aliis, sæpe epidemicis e causis nata, omnino irregularis, multa difficultate tum e coctionis criseosque perturbatione, tum convalescendi labore stipatur: verum natæ ipsius vi morbi febris, omnino irregularis, observationes in semetipsis referunt cl. Viri (*a*); quæ variabili plane typo, apyrexia vix perfecta, redierit, l. majori bono, aliarum febrium more, paroxysmum sudore finierit, aut levarit saltem.

6. Alvus aliquibus tardior est, tardissimaque aliquando (*b*), ut nonnisi siccissima dimittat; aliis ac plerisque mollior, stercoraria, male mixta, biliosa, rufa, subatra, sæpe pallida, sæpe fœdissima, repetito per diem nisu, fere tenesmode, secedunt: interque ea alvi phænomena tumentibus hæmorrhoidum tuberculis anus flagrat, aut iis per intervalla fluentibus, aut perpetuo etiam, ut novi, quotidiano pauci sanguinis fluxu notantur: Sed & de inventis malorum suorum in aurea vena caussis, naturæque per eam molimine lætantur, atque inter amicorum Medicorumque etiam adgratulationes, animum feliciore erigunt augurio; aureos morbi sui fontes æquanimius ferunt, obstetricante Medico, eos nunc fodiente, nunc fovente, emolliente, nunc irritante, nunc sugente, nunc quocunque artis suæ, plerumque arcano genere consulente.

7. Palpitationis quidam sensus, uti omnes aliquando vel varias saltem partes, sensu ac irritabilitatis vi gaudentes, ferit, uti refert Fracassini (*c*); atque in se ipso tremoris ac palpitationis subtercutaneæ specie sensit Garboe (*d*); ita & potissimum partes interiores tenet, & trementis cordis, aut

 Aortæ,

(*a*) Garboe *experim. ca. mal. hyp.* §. VI. Hoppe *Hamb. Mag.* Vol. VIII. p. 604. 608. Vol. IX. p. 340.

(*b*) Alvi ad 3. septimanas obstipatæ in hypochondriaco exemplum habet Kaempf *de infarct. ventric. Vol. III. diss. pract.* Hall. it. Swieten T. III. p. 492.

(*c*) Fracassini *Opusc. Pathol.* p. 273.

(*d*) Garboe l. c. §. VIII.

Aortæ, aut Cœliacæ palpitantis ſenſu, polypi latentis aut anevriſmatis formidine repleverit ægrum Medicumque, ut novi, alias ſat celebrem; aliquando conjuncta perpetua quaſi circa ventriculum preſſionis moleſtia, ac continuo plerumque ingeſtorum vomitu, pancreatis ſcirrhoſi & jamjam carcinomatoſi ſpecie prognoſique fefellerit (*e*).

8. Sed aliis has ſimilesque inter moleſtias, fortior auctusque adpetitus (*f*) ſponte disjicit hos mentis pavores; imo aucta ſæpe animi lætitia, atque in riſus proclivitas, aucta ſalacitas, nocturna per ſomnum *λαγνεύματα* vegetioris etiam corporis ideas ſubſtituunt; ut præmaturis ſibi conſulant matrimoniis, vel naturæ vires ſcortando jactitent; nihilominus ſua, quæ cum Medico maxima eſſe ſolet, amicitia, ſuas vel Hæmorrhoidibus, vel flatulentiis, vel aliis queiscunque cauſis potius, quam turpitudini querelas deferunt.

9. Aliæ imi ventris afflictiones variant; ſæpe lumborum, oſſis ſacri dolores, ſæpe tormina & cardialgiæ vexant; alios ſtranguria affligit; alios modo cum lento ſtillante humore aliaque affectione genitalium moleſta, urinæ emiſſio, modo ejus etiam absque ullo dolore in veſica ſuppreſſio vexat. Sæpe ſub anxietatis ac viſcerum palpitantium ſenſu ingruente, urinæ copioſæ aquosæque fluunt! ut & hac ratione varias morborum formas ſimulent, ægrosque novis terroribus compleant: ita diabetem cum paſſione hypochondriaca conjunctum deſcribit KRAZENSTEIN (*g*); calculum renalem ſæpe mentiri, obſervat FRACCASSINI (*h*).

10. Verum non ſoli hi viſcerum abdominis limites ſunt, morbi hujus ſævitiem mirabilesque formas concludentes; quin in alias ſimul partes, totumque corpus ſæpenumero porrigatur:

(*e*) Pulſationem in aorta, art. mammaria, cœliaca tam vehementem, ut anevriſma ſimularet, adnotat FRACCASSINI l. c. p. 243. 272.

(*f*) WHYTT *Abhandl. von der Hypochondr.* pag. 188. *It. not.* ad HALESII *hæmat.* p. 178.

(*g*) *De diabete Vol. IV. Diſſert. pract. Hall.* p. 56.

(*h*) *L. c. p.* 241. 249.

tur: Præter anxietates cordisque palpitationes, pectus dyſpnææ quodam genere, quod ſubito ingruens, peripnevmoniam notham, catarrhi ſuffocativi ſpeciem, æmulatur, per intervalla affligitur: ſed, uti ſubito animi adfectu, terrore ſæpe, naſcitur: ita eo mutato, cedit, contrariisque ideis evaneſcit, ructibus flatibusque ſurſum deorſum, liberato Aeolo, mirabili per inteſtina murmure ſpirantibus. Aliis ſaliva copioſior (*i*), aliquando dulcis (*k*); alios hæmoptöe crebra; alios anginæ quædam ſpaſmodicæ, absque conſpicuo faucium vitio, torquent, ſœpe redeuntes (*l*).

11. Atque in tanto Symptomatum numero, Capitis mala maxima eſſe ſolent, ut cephaleæ non tam periodicæ vel vagæ, modo caput univerſum, modo has, modo illas partes ſævo tormento occupent, nunc obtuſæ tenſionis, nunc frigoris, nunc gravantis ponderis, ſtuporis, ſæpe vertiginoſi relicto ſenſu: ictus cujusdam celerrimi & quaſi fulminei, caput trajicientis ſenſum, ſenſibili cum ſono, velut fidei in tetrachordo nimis tenſæ, ſubito nunc ruptæ tinnitu, tempore obrepentis ſomni, expertus eſt Garboe; alii plures dantur, eo toties ſenſu territi.

12. Crebras inter ſubitaneasque phlogoſes, motus in variis faciei muſculis oſcillatorii perſpicui repunt; ut celerrime mox palpebra vibret, modo labia tremant, modo ſenſus ſaltem aliquis tracti ad latus labii, vel cuti inhærentis irritantisque pili, quem manu iterato abſterſerint, divexet.

13. Oculis ſcintillæ ſubitæ, modo muſcarum volantium, nigrarumque macularum ſpectra obverſantur, ut imminentis iterum apoplexiæ, vel ſaltem cœcitatis, variosque alios irritosque metus animo agitent.

14. Cum qua corporis conditione peculiaris nectitur hypochondriacorum pſychologia; cumque repente per fibras celeri

(*i*) Swietenius T. III. p. 507. Roper *de ptyaliſmo Vol. I. diſp. pract. Hall.* p. 453.
(*k*) Hallerus *Elem.* T. V. p. 115.
(*l*) Swietenius T. II. p. 706.

leri inordinatoque motu, nerveorum ſtaminum inordinatæ cientur vibrationes, a mente haud regendæ ſatis; atque inter varias phantaſiæ turbas, ſeries cogitationum male cohæret: Celerrimis vividisque ideis phantaſia luxuriat; ut ingenii etiam vi acriore polleant, qua objectum in omnibus notionum particulis conſtantius accuratiusque perluſtrent; niſi quidem imaginationis vis major judicium rationemque perturbet (*m*): hæcque illa vis eſt, quam animum Entheon Poëtæ vocant; quæ vivaciſſimis, quas fertilis imaginatio ſubminiſtrat, ideis ſummos artifices reddit, atque ad optima quæque opera excitat (*n*); languens languorem corpori animoque inducit; donec excitata quacunque ratione, ad priſtina opera excellentiora redeat: Novit homines eruditos BOERHAVIUS (*o*), qui in loco quodam ſapientiſſimi erant, ſed inde egreſſi, inſaniebant præ melancholia, reduces iterum ſapientes erant. Ita in contraria toties, mutato ordine idearum, animus trahitur, ut in omnia etiam animi pathemata excedat; mox in riſus cachinnosque leviuſculo momento diffunditur, rumpantur ut ilia Codro; mox ad triſtitiam lacrymasque facili e cauſa redit: Homines ſcenicos, qui avidam plebem, riſum movendo, auro emulgent, geſtu faciles ſalibusque plenos, plerumque hypochondriacos eſſe, & ſibi ſolis vix ſufficere, tum demum ridiculos, quando ad officium redeunt, & confluxu hominum excitantur, adnotat BOERHAVE (*p*); addit HALLERUS celebre exemplum PEQUELINI de MOLIERE, qui aliis facetiſſimus, ſibi triſtis vitæque pertæſus. Mox tacitis animi furoribus nonniſi hoſtium ſuorum, quos fingunt, damna necesve ſpirant, militumque fortiſſimorum ideas fabricant; mox data occaſione, canes in aula

(*m*) Imaginationi indulgentes, attentione & judicio minus valere *Conf.* KLOEKHOF *de morb. animi* p. 56.

(*n*) Maracum Poëtam Syracuſanum, ex DONATO memorat Bœrhave *de morb. nerv.* p. 406, qui optima ſua carmina non niſi furens & mente captus componebat, ſed ſedatus, nihil præſtabat excellens.

(*o*) BOERHAVE l. c.

(*p*) BOERHAVE *præl. ad inſtit.* §. 327.

aula jovis legatos apud PHAEDRUM adparente DIVI Majestate, æmulantur. Impavidi nunc, molestiarum suarum impatientes, ultima sibi fata vovent exspectantque; mox mortis imagine metuque pavidi, inter tristia sensorii communis nubila terrentur, torquentur: Amore nunc rapiuntur, nunc odio; animusque commissi criminis conscientia ac pœnitudine lacrymis culpam expiat, sed ad idem mox facili occasione rediturus: Qua in sensorii communis mobilitate rectiores probitatis ideæ, quas constantius servent, intercurrentibus antiquis, queis adsuevere (q), l. iis certe, quas aversando diuturnas inter animi luctas sibi imprimunt, turbantur ideis; quas sub mediis pietatis exercitiis, variis motibus ac gesticulationibus totidem velut diabolos, quasi muscas, abigere velle videantur. Tanta sæpe phantasiæ luxuries est, ut alieno idearum ordini si avidius inhient, sibique in iis placendo, eas sensorio communi vividiores reddunt, in melancholiam ipsam maniamque proximam sibi viam parent.

15. Hac corporis mentisque conditione sunt, qui victas dant manus, lectoque vinctas; corpus similibus malis debile, causarum externarum, quas omnes sibi nocivas ominantur, serie, ipsiusque äeris liberioris usura eximunt; quæsita vitæ in omni genere mollitie summa, turbas suas solantur; demumque sensim societatis humanæ officiis excussi, rectisque corporis & mentis usibus desueti, irritis pharmacorum dispensatoriis, suas inter curas medendique studia tabescunt, tenuesque propediem, ut credunt, relinquent exuvias, angelica mox chrysalide avolaturi. Advocatum describit GARBOE (r) per octo annos lecto affixum, quem sensim absque pharmacis, nisi solius rhei tenui ac repetita dosi, ad artuum suorum usus atque communis auræ pabulum reducendo, sola diæta sanaverit. Alii dantur per plures annos lectis suis affixi, Medicorum consiliis obluctantes. Felicior sors ægro adfulsit, quem MEAD (s) describit: qui ingravescente morbo mortem sibi instantem denuntiat, jubetque

(q) Eæ sunt, quas Poëta canit: *Naturam expellas furca, tamen usque recurret.*

(r) GARBOE l. c. §. X.

(s) MEAD mon. & præcept. med. p. 149.

betque igitur, ut moris eſt, campanam funebrem in templo, ædibus ſuis vicino, pulſari, quaſi neniam ſuam ante ſupremam vitæ horam audire volens; Campanarum autem pulſator, cum male rem agere videatur, iratus e lecto ſurgit, manibus ſuis modum rectius pulſandi monſtraturus; quod cum fecerat, totus ſudoribus diffluens, ad lectum redit, mox expiraturus. Vitam autem reddidit iſte labor, & convaluit.

§. III.

Verum & ad morbi hiſtoriam pertinet, ſubjecta morbo hypochondriaco obnoxia, ejusque mutationes varias, quas fida crebraque obſervatio demonſtrat, conſideremus.

1. Quanquam huc præcipue tenuioris corporis habitus pertineat, nativa nervoſi ſtaminis partisque ſolidæ teneritudine conſtans; cum qua a parentum ſimili morbo toties traduce hæreditario diffunditur morbus: dantur nihilominus.

2. Teſte Tralles (*t*) lacertoſi, robuſti toroſique viri, nihilominus hypochondriaci; dantur ſanguine ſuccisque pleni, æque ac macilenti; dantur exercitati mobilique vitæ generi addicti perinde, ac ſedentarii otioſique, hac adfecti ægritudine; ſed præcipue huc pertinent, ſi recte attenderis, tum ii,

2. Quos delicatior parentum ſinus a teneris molliſſimo vitæ genere fovit, atque a quovis cauſarum externarum liberiorisque ac frigidioris auræ adflatu ſollicite cuſtodiit non tam, quam ſimul prima animi, in mala propenſi, licentiorisque vitæ germina aluit explicuitque. Tum ii,

4. Qui ſub rigidiore Præceptorum imperio teneram jam ætatem ſtudiis meditationibusque manciparunt, vitamque non niſi ſeverioribus ſtudiis terunt. Tum ii,

5. Qui primos pubertatis ſtimulos ſecuti, vel vaga venere, vel, quo non aliud turpius pernicioſiusque, quod Cl. Tissot deſcribit, ſcelere, vel præmaturo matrimonio, molliora adhuc ſyſtematis nervoſi ſtamina peſſumdant. Tum ii,

6. Quos duro egeſtatis jugo, vel alia quavis e cauſa perpetuas inter curas animique mœrores tenet neceſſitas. Tum ii,

7. Qui

(*t*) Tralles *de Opio*. P. III. p. 37.

7. Qui e vitæ norma, quam ſine fræno duxere, per omne libidinum genus vagam; nunc continuo vel religionis ductu, vel initi matrimonii honore imperiove, vel adſecuti muneris gratia, virum ſtrenuum ſeverumque agunt, ſuisque incluſi cubiculis ad fornacis angulos vel ſuis negotiis, vel devotionis etiam exercitiis vacant.

§. IV.

Mutationes morbi addi oportet, quas experientia demonſtrat. I*mo* morbus a nativa debilitate nervorumque teneritudine natus, licet nunquam perfecte tollatur (*u*); miteſcit ſaltem adultiori ætate, atque mutato vitæ genere, propriorumque errorum emendatione fere ceſſat (*x*).

II. Aliis in Podagram demum fatiſcit morbus (*y*).

III. Circa annum ætatis quinquageſimum in ſcorbutum vel arthritidem mutari, obſervat LIEUTAUD. (*z*).

IV. In phthiſin nervoſam majori gradu mutari, obſervationes Franconicæ adnotant (*a*), teſtaturque MORTONUS; (*b*) quæ demum in veram phthiſin pulmonalem abiret; phthiſi etiam pulmonali obnoxios hypochondriacos, eaque a priſtina anxiaque malorum ſerie liberari, adnotant Cl. viri (*c*).

V. Aliquando per exanthemata, glandularum ſubcutanearum ſuppurationes ſolvi viſus eſt morbus (*d*).

VII.

(*u* WHYTT l. c. p. 249.

(*x*) WHYTT l. c. p. 89. BILGUER *von der Hypoch.* p. 906.

(*y*) BILGUER p. 903. 907. LUDWIG *inſt. Cl.* §. 556. LOESECKE *Th. Spec.* p. 209.

(*z*) LIEUTAUD *Synops. prax. med.* p. 89.

(*a*) *Frænck. Samml.* Vol. VIII. p. 132. 146.

(*b*) MORTONUS *phthiſiol.* p. 92.

(*c*) FRACCASSINI l. c. p. 383. WHYTT l.c. p. 248. HILL *von der Hyp.* p. 17. 18.

(*d*) WHYTT l. c. p. 114. HILL. l. c. p. 23.

VI. Alios dejectiones atrabilariæ vel vomitus juvere (*e*).

VII. Notandum huc pertinet, hypochondriacos minus inflammationibus, aut & febribus acutis obnoxios esse, quod observat Cl. WHYTT (*f*); imo pesti, aut aliis epidemicis morbis rarius obnoxios, sed correptos acrius laborare, BILQUERUS adnotat (*g*).

§. V.

Alia aliorum celeberrimorum virorum experimenta observationesque huc pertinent. Sanguinem ipsum hypochondriaci analysi Chemicæ subjecit Cel. COLBATCH, referente HALLERO (*h*); qua constitit portionem urinosam sanguinis fuisse maximam, oleosi principii minorem rationem (*i*), carbonis minus (*k*) detectum fuisse. Alii sectiones cadaverum eorum, qui hoc morbo obiisse fuerunt visi, referunt: BONETUS (*l*) sanguinem atrum in variis partibus collectum; item omenti vitia describit; it. vasa cœliaca, Mesenterica præcipue affecta (*m*); varices in mesenterio, variasque viscerum labes, hepatis præcipue ac lienis varias corruptelas refert (*n*): diversas viscerum obstructiones mutationesque adnotat WHYTT (*o*); longam earum seriem LIEUTAUD (*p*), describit; in qua

(*e*) LUDWIG. l. c. §. 556. HAEN *rat. med.* P. IV. p. 30. KAEMPF *de infarctu vas. ventr. Vol. III.* HALL. *Diss. pr.* p. 121.

(*f*) WHYTT l. c. p. 250.

(*g*) BILGUER l. c. p. 904.

(*h*) HALLER *Elem.* T. II. p. 104.

(*i*) HALLER l. c. p. 109.

(*k*) HALLER l. c. p. 111.

(*l*) BONETUS *Sepulch.* p. 226. T. I.

(*m*) BONETUS l. c. p. 231. 242. T. I.

(*n*) BONETUS l. c. p. 294 301. 308. 309.

(*o*) WHYTT l. c. p. 152.

(*p*) LIEUTAUD. l. c. p. 91.

qua illa notatu dignior, qua venam portarum vidit adeo dilatatam & ampliatam, ut genuini inteſtini molem ac faciem adſequeretur: ſimilem VP. ramum ſub coli inteſtini fine pollicis craſſitiem æquaſſe, vidit Kupferus (*q*); quam eandem venarum Meſentericarum dilatationem Bonetus (*r*) deſcribit; vaſa Meſenterii inteſtinorumque atro ſanguine infarcta, nullam cæterum viſceris læſionem, inteſtinorum gracilitatem flacciditatemque, colorem varie mutatum deſcribunt obſervationes Franconicæ (*s*); imo & ſæpe nullas viſcerum obſervari mutationes, adnotat Whytt (*t*); uti crebræ infeliciſſimorum illorum ſectiones docent, qui toties a nece, ſibimet illata, cultro anatomico legalique examini, ad determinandam ex viſcerum conditione melancholiam, ſubjici, traducta a VVbus ſtricta lege ſolent.

§. VI.

Hactenus experientiæ: queis rationes medicæ demum ſecurius innitantur. Atque ſi phœnomena deſcripta, quæ proprie ſtrictiusque ad morbum ſpectant, qui ex immenſo ſymptomatum numero morborum ilias quibusdam audiit, recte perſpiciamus; certe nonniſi ſpasmodica generisque nervoſi affectione eſſe fundata, apparet; ſi morbi non per viſcera ſola abdominis, ſed per univerſum corpus dominium, eadem fere utrobique concuſſionis ſubitæ phœnomena (§. II. n. 3. 11.) ſi palpitationis nunc abdominis (§. II. n. 7.) nunc pectoris & capitis (§. c. n. 12.) nunc cutis univerſæ (§. c. n. 4.) diffuſos ſenſus; ſi immenſam quandam morbi mutabilitatem, qui a ſummis terroribus facile ad lætitiam functionumque naturalem ordinem redit, (§. c. n. 3. 8. 14.); ſi affectuum animi imperium (§. c. n. 10.) in hoc morbo vel mutando vel

 pro-

(*q*) Kupfer *de volvulo ſanguineo Vol. III. Diſſ. pr. Hall.* p. 374.
(*r*) Bonetus l. c. p. 227. 242.
(*s*) *Frænck. Anmerck.* Vol. VIII. p. 147. 155.
(*t*) Whytt l. c. p. 168.





producendo (§. III. n. 4. 5. 6. 7.) si causas potissimum in nervos agentes (§. III. n. 4. 5.) si morbi mutationes spontaneas (§. IV. n. I.) atque in phthisin nervosam (§. IV. n. IV.) exitum; si denique nullas detectas viscerum mutationes (§. V.); si alia morbi phœnomena, solo nervorum systemate comparentia, sedulo comparaverimus. Rectius certe Nevropathiam appellari mavult MORGAGNE (*u*); atque morbum solum spasmodicum, a spirituum ataxia pendentem, statuit FRACCASSINI (*x*) it. FR. HOME (*y*) aliique; quo inordinatis spirituum motibus, spasmodicis fibrarum contractricium stricturis, plus minusve diuturnis constantibusque, illa phœnomenorum effingitur varietas, ut modo ventriculi intestinorumque ac præcipue coli (*z*) vel duodeni (*a*) spasmis, inclusi, qui semper præsens est (*b*) aëris, rarefactique immenso volumine, summa diaphragmati, hepati, vasisque omnibus abdominalibus injuria cum ingenti anxietatis sensu inferatur; inde dyspnæa (§. II. n. 10.) angustiori pectoris area nascitur: inde spastica tensione per œsophagum porrecta, anginæ spasmodicæ sensus (§. II. n. c.) inde pylori vel duodeni eodem vitio ingestorum vomitus (§. II. n. 7.); qua immani intestinorum distensione, nunc constrictione spastica, alternis vicibus per totum canalem citissime sæpe excurrente, flatuum non tam murmura obrepunt, globosque abdominis volvunt revolvuntque, quam

(*u*) MORGAGNE *de sed. & cauf. morb. Ep. XLV. n. 18.*

(*x*) FRACCASSINI l. c. p. 240. 245.

(*y*) HOME *princ. med.* p. 223.

(*z*) Coli tensionem præcipue accusat LUDW. *inst. cl.* §. 553. it. PITCARNE *Elem. medic. Mathemat.* p. 191.

(*a*) Duodennum accusat *Zach.* VOGEL *Kranckengeschichte* P. I. p. 74. SCHMIEDEL *de duod. dign.* §. XII.

(*b*) Facili ingestorum, cumque liquidis nostris mixtorum fermentatione ac putredine nascitur; uti salivam, liquoresque ventriculi & intestinorum aëre valde elastico scatere demonstravit HALES. *hæmast. Exp. 23.* §. V. cui experimenta WALÆI, SCHUYLII apud LISTERUM conveniunt.

quam vaſorum tum per inteſtinorum tunicas repentium, tum vicinorum truncorum compreſſione, anguſtatione, inter varia vitalis circuitus obſtacula, ſanguis in vaſa liberiora majori momento pellitur: inde capitis artuumque incaleſcentia ſubita alternansque, vaſorum intumeſcentia (§. II. n. 4.) faciei rubor ſæpe ſubitaneus, vaſorum dilatatio, ut ampliatis orificiis ſanguinem fundant, cum crebra ſæpe hæmoptoë (§. II. n. 10.) aliove hæmorrhagiæ genere; cordis ipſius auctus labor ac palpitatio, pulſationes in variis partibus enaſcuntur (*c*): Inde in venis abdominalibus congeſtus ſanguis, vaſorumque ſenſim majore atonia cumulatus, varia hæmorrhoidum moleſtia (*d*), Inteſtinum Rectum, vicinas perinæi partes, ipſam veſicam urinariam (§. II. n. 6. 11.), imo altiora inteſtinorum loca mulctat; quorum vaſis dilatatis, ſanguis in inteſtina effuſus, moraque corruptus, ſenſim grumorum fœcisque atrabilariæ ſpecie effunditur (§. IV. n. VI.); indeque tanta venarum dilatatio obſervata, ſanguinisque atri conditio pendet. Vaſorum ſpasmis crebræ illæ tum in majoribus vaſis pulſationes, anevriſma æmulantes, tum in minoribus, per ambitum corporis diſperſis flagrant (§. II. n. 7.); alternosque illos caloris frigorisque ſenſus pariunt (*e*); visque motrix, quæ in fibra muſculari reſidet, tantopere irritata, in toto ejusdem ſyſtemate diverſa motuum producit phænomena, modo concuſſionis ſubitæ (§. II. n. 3. 11.) modo muſculorum tractionis inæqualis, vel ejusdem ſaltem ſenſus (§. II. n. 12.); in ventriculo auctum ſæpe appetitum (*f*) (§. II. n. 8.); alias in aliis partibus turbas,

 ac

(*c*) Ab obſtructionibus repetit Morgagne *l. c.* Ep. XXXIX. n. 19. a convulſionibus l. c. n. 20. it. Haller *el.* T. II. p. 246.

(*d*) Hæmorrhoides a ſolis ſæpe flatibus recte deducunt *Frænck. Anmerck.* Vol. VI. p. 312. Vol. VII. p. 506. it. Morgagne *l. c. Ep. XXXII.* n. 10. Duodeni affectionem hic latere toties, *conf. Zach.* Vogel l. c. p. 74.

(*e*) Whytt. l. c. p. 169.

(*f*) Ventriculi pathemata a turbata fibrarum actione repetit Fraccassini l. c. p. 258.

ac præcipue capitis adfectiones (*g*); ſecretionis realis (§. II. n. 9.) nunc auctæ, nunc imminutæ phœnomena efformat: Atque turbata ſanguinis abdominalis circulatione, major vis vaſis ſpermaticis illata, copioſiorem ſeminis ſecretionem, generisque nervoſi irritati mobiliſſimique (§. II. n. 14.) ſtimulos addit (§. c. n. 8. §. III. n. 5.) ipſo uſu, majoreque vaſorum injuria, cum creſcente indies debilitate increſcente; quæ veneris phœnomena ſemper imbecillitatem nervoſi generis, morbos hinc ſpasmodicos, aut prægreſſos, uti Arthritidem, Nephritidem, epilepſiam, aut comitantes præcipue ſequi, obſervat GAUBIUS (*h*); eademque ratione in rabie canina, quæ meris phœnomenis ſpaſticis conſiſtit, hos canum fere laſcivientium mores adnotat LISTERUS (*i*): eadem hic phænomena, quæ in canibus exſecto liene viſa, adplicat BOERHAVE (*k*).

§. VII.

Sed quæ demum illa nervorum mutatio, unde tanta fibrarum vis motuumque turbæ pendent? Quæ quanquam ex ignorata hactenus intimiore nervorum Encephalique fabrica, ignotaque plane ſpirituum materie indoleque, in tam abdito naturæ ſinu, atque inſcrutabili immenſæ ſubtilitatis arcano haud pateat: attamen obſervatis conſtat, hunc uti motuum ſenſuumque fontem, ita mutatum, earum functionum vitia, a ſumma immobilitate ac ſtupore, ſucceſſiva mutationum ſcala, ad ſummos ſenſibilitatis gradus inferre. Tactum ipſum aliosque ſenſus, mutatis nervis, ita perverti, exemplis conſtat, ut imminui pervertique ita viſus fuerit, ut ſe ipſum vix cognoſcere potuerit homo (*l*); nunc perpetuus quaſi fri-

(*g*) WHYTT l. c. p. 173.
(*h*) GAUBIUS *pathol.* §. 821.
(*i*) LISTERUS *de variol.* p. 6.
(*k*) BOERHAVE *præl. ad inſt.* §. 327.
(*l*) Exemplum in hyſterica refert VANDERMONDE *Recueil periodique* T. VI. P. I. Art. IV. Conf. GAUBIUS *Pathol.* §. 693.

frigidæ auræ ſenſus incommodus eſſet; cutisque tam ſenſilis redderetur, ut ſubtiliſſima tela pulcherrimaque Belgarum lintea aſpera viſa ſint; neque holoſerici tactus, neque Perſici mali tenera pubes ferri potuerit (*m*): in morbis ſpasmodicis univerſam fere corporis ſuperficiem ita tenereſcere, adnotat GAUBIUS (*n*), ut vel intentatus modo attactus etiam formidinem incutiat: tantam a diſcedente dolore hyſterico carnium teneritudinem, quæ tangi recuſet, relinqui, obſervat SYDENHAM (*o*): Hydrophobia certe ad ſummum ſenſibilitatis augmentum redit; ut absque rabie canina in morbis nervoſi generis obſervata ſit (*p*) a ſolo terrore (*q*) it. a colica pictonum (*r*) aliisque morborum cauſis, in genus nervoſum præcipue agentibus, ſingulari certe nervorum mutatione, quæ non tam aquæ aut cujusvis liquidi, quam aëris lucisque tactum intolerabilem horrendumque reddit (*s*): Eædem in omni genere ſenſuum mutationes, mutatis nervis, dominantur: Olfactum acutiſſimum caninumque in hydrophobia BORELLUS refert (*t*); eundem in fœmina a morbo convulſivo natum refert Promptuarium HAMBURG. (*u*) ut amiſſo viſu, eodem diſcernere homines potuerit: Mirabile plane phœnomenon eſt fœtor perpetuus, a ſola nervorum irritatione in hypochondriis,

(*m*) Exempla collegit HALLERUS *Elem.* T. V. p. 95.

(*n*) GAUBIUS *Pathol.* §. 694.

(*o*) SYDENHAM p. 269. 491.

(*p*) MEAD T. II. p. 111.

(*q*) *Conf.* Comment. in ſc. natur. & med. geſtis T. XI. p. 55.

(*r*) TRONCHIN *de Colic. pict.* p. 18. 49.

(*s*) Aerophobos teſtatur MEAD *de venen.* pag. 104. SWIETEN T. III. p. 555. LISTER *de morb. chr.* pag. 41. MORGAGNE l. c. Ep. VIII. n. 28. 29. HAMB. MAG. Vol. XX. p. 548. Vol. XII. p. 401. 409. Lucis impatientiam teſtatur DESPREST *vid. Gœtting. Anzeig.* an. 1758. p. 1152. MEAD l. c. HAMB. MAG. Vol. XII. l. c.

(*t*) BORELLUS Cent. III. obſ. 68.

(*u*) HAMB. MAG. Vol. XX. p. 301.

driis, quod MORGAGNE (*x*) deſcribit: Viſus obſcurationem antecedere paroxyſmum hyſtericum adnotat HEUERMANN (*y*): Ea ſæpe ſenſibilitas corpori flagrat, ut levi cathartico vel emetico, vel ſola cantharidum adplicatione, vel levi quovis terrore in motus convulſivos incidant (*z*): fœminam refert BOYLE (*a*) ſono pulſatæ campanæ vel alio graviore, in ſummam ſemper ſyncopen delapſæ. Quas licet nervorum mutationes ratio humana adſequatur neutiquam, effectibus certe manifeſtis conſtant perverſæ mutatæque ſenſibilitatis partium; quæ maximam phœnomenorum hypochondriacorum partem non tam, quam ipſam cauſam proximam ſibi vendicat; unde potiſſimum ſupra dicta morbi ſymptomata oriuntur (*b*). Inde ſolidarum CH. partium vitia maxima parte fundantur, quæ ad explicandam morbi originem requirunt cel. Viri: fibræ ſolidæ debilitatem atque atoniam, relaxatum primarum viarum robur accuſant (*c*), cauſarumque relaxantium claſſes, uti calidorum potuum abuſum advocant. Quanquam autem relaxationis & atoniæ vitio omnino celerrimus ille partium motus, ſummaque in eum proclivitas poſito ſtimulo, repugnet, quæ in nimia laxitate abeſt; atque contradicat toroſi robuſtique & exercitati corporis, nihilominus hypochondriaci obſervatio §. III. n. 2., morbique ſæpe ſine reliquis fere corporis noxis, diutiſſime protracti diuturnitas, demum ſenſim diſparens (§. IV. n. I.); debilitatem tamen, ſed ejus peculiare genus in fibra motrice accuſaverimus; quod cum generis nervoſi vitio connexum, nimiam irritabilitatem, teneritudinem, mutatam perverſamque ſenſibilitatem, ejusque ſpecifica vitia ſiſtit

(*x*) MORGAGNE *l. c. Ep. XIV. n. 28.*

(*y*) HEUERMANN *phyſ. T. II. p. 990.*

(*z*) WHYTT l. c. p. 86.

(*a*) Conf. WHYTT l. c. p. 87.

(*b*) Mutatæ perverſæque ſenſationi papillarum in ventriculo diſpoſitarum famem & appetitum auctum adſcribit WHYTT l. c. p. 181.

(*c*) CARTHEUSER *path.* P. II. p. 244. CHEYNE *act. Edinb.* T. VI. p. 134. 136.

ſiſtit (*d*); queis ab ea certe, quæ a ventriculi inflammatione aliisque morbis oritur, diſtinctiſſima, toties iis læditur commoveturque, quæ maxime innocua, inſipida, omnique ſtimulo carent; commode acriora, aromata, ſpiritus calidos, quin & cum ſolatio perfert, abſurda toties adpetit, reliqua nauſeat. Atque licet hæc ſolidæ partis conditio iis nervorum vitiis per univerſum corpus porrigatur; ut recte quidem morbus univerſalis, non ſolorum hypochondriorum appellari debeat (*e*); præ reliquis tamen vel incipientis morbi vel adulti etiam, potior in canale inteſtinali ſedes eſt; cujus perverſa ſenſibilitate inordinatisque motibus deflagrat (*f*), licet absque digeſtionis vitio (*g*); quæ etiam duriora melius commodiusque, quam molliora digerat (§. II. n. 1.). Recte FRACCASSINI (*h*) morbum ſolum ſpasmodicum a ſpirituum potius ataxia, quam viſcerum coctioni inſervientium dyſcraſia pendere, adſerit.

§. VIII.

Fluidorum vitia an mali hujus vel producendi vel fovendi partem ſibi vendicent, diſſentiunt Cel. VIRI; uti FRACASSINI (*i*) nullum in fluidis vitium concurrere, pluribus diſſerit momentis. Verum, ſi liquidi nervei in encephalo ſecretio leges ſecretionis univerſales reliquorum in C. H. humorum ſequitur; ut poſitis definitis vaſorum ſecretoriorum con-

(*d*) WHYTT. l. c. p. 83. 84. temperamentum omnino irritabile, conſtitutio corporis tenera, macra, pallida huc potiſſimum refertur a BILGUERO l. c. p. 252.

(*e*) FRACCASSINI l. c. p. 237. 241. 244.

(*f*) In ventriculo ſedem præcipuam ponit FR. HOFFMANN *med. conſult.* P. I. p. 216. 292. in ventriculo & inteſtinis WHYTT l. c. p. 96.

(*g*) WHYTT l. c. p. 97.

(*h*) FRACCASSINI l. c. p. 241. 244.

(*i*) FRACCASSINI l. c. p. 245.

conditionibus, tum pro copia advecti arteriosi sanguinis, tum qualitate variet; atque adeo ejusdem determinata copia ac dotibus naturalibus, spirituum vigor, ejusdem inopia, debilitas, sed & qualitate mutata, liquidi nervei vitiosa indoles sit (*k*); quatenus ut humor secretus, ex mixtione humorum universali pendet, hujusque depravatæ vitio imbuitur. Recte ita Boerhave (*l*) a tenuitate sanguinis majorem ad functiones læsas cerebri cerebellique dispositionem inferri statuit; eademque ratione turbatam sanguinis crasin, & deficientem densitatem inter affectuum nervosorum causas retulit Whytt (*m*); uti videmus quotidie teneras puellas virosque, quibus hoc nimiæ tenuitatis vitium in sanguine obtinet, a levissimo animi adfectu turbari, a minimo fragore totos contremiscere, aliaque debilitatis nervosæ phænomena prodere. Adeo sanguinis aut & reliquorum humorum vitia haud esse excludenda e causarum classe, adparet; quatenus aut ipsius liquidi nervei secretioni serviunt, aut per tenuissima vasa, ubique nervorum non tam involucris, quam ipsi nervorum substantiæ immersa (*n*), varia nervis irritamenta adfricant: dispositionem inde corporis scorbuticam inter causas occasionales refert Whytt. (*o*). Adfinitatemque hos inter morbos ipse saltem ex effectu Fraccassini (*p*) statuit; atque in scorbutum facile terminari demum Hypochondriasin constat (§. IV. n. III.); ipsaque Colbatchii in sanguine hypochondriacorum experimenta (§. V.) conspirant, quæ & tenuitatem & acrimoniam testantur. Pertinet huc certe acre in sanguine genitum, atque inter causas proëgumenas refertur (*q*); peculiarem lymphæ mor-

(*k*) Conf. Ludwig *de contentione studiorum moderanda* §. IX.

(*l*) Boerhave *de morb. nerv.* p. 154.

(*m*) Whytt l. c. p. 138.

(*n*) Boerhave *de morb. nerv.* p. 57. Haller *elem.* T. IV. p. 189. Heuermann *Chyr.* T. I. p. 38.

(*o*) Whytt l. c. p. 115. 294.

(*p*) Fraccassini l. c. p. 368. Pitcarne l. c. p. 192.

(*q*) Whytt l. c. p. 108.

morbosæ indolem nonnunquam subesse, statuit LIEUTAUD (r); inde morbos cutaneos repressos (s), it. fonticulos, ulcera antiqua siccata (t) ad ea mali genera conferre, observatio testatur; inde & felici naturæ molimine, natis in cute exanthematibus solvitur, vel mitescit morbus (§. IV. n. V.): eadem ratione a febribus diu durantibus, sibique relictis, ea in solidis fluidisque partibus vitia inducuntur aliquando, quæ succedenti hypochondriasi faveant (u); dum repetito febris attritu, calorisque vi, & solidæ & fluidæ partes exsolvuntur sensim, atque a naturali cohæsionis gradu ac specifica crasi dejiciuntur (x). Inter causas remotas adeo eæ referuntur omnes, quæ densitatem specificam sanguinis, naturalemque liquidorum tenuiorum crasin pervertunt; unde vasorum viscerumque functio, imminuta coctionis opera, partis solidæ robur fatiscit, visque ipsa nervea, quæ in singulis partibus definitis & specificis sensationibus præest, depravatur, facillimeque alienis oscillat stimulis: quorsum hæmorrhagiæ nimiæ per partum abortumve, vulnera, V. *Sies* nimis crebræ, it. vehementiores aliæ per vomitum alvumque evacuationes referuntur; iisque de causis à puerperio vel abortu frequens malum observavit Fr. HOFFMANN (y), it. SYDENHAM (z). Eadem ratione diætæ vitia varia id agunt, ut defectu probæ nutritiæ gelatinæ, tum spirituum materie depauperetur sanguis, tum proba e crasi defi-

(r) LIEUTAUD l. c. p. 442.

(s) HILL l. c. p. 23.


(t) WHYTT l. c. p. 115. 137.

(u) WHYTT l. c. p. 84.

(x) HALLER *elem.* T. II. p. 97. 106. 114. 133. Sanguinem a febre sæpe resolvi. *Confer.* SENAC *de recondita febris natura* p. 250. Sanguinem reddi scorbuticum. HEUERMANN *Bemerck.* P. I. p. 73.

(y) *Fr.* HOFFMANN. *med. rat. syst.* T. II. p. 112. Testatur WHYTT p. 84. HOME *princ. med.* p. 222. Crebraque purgantia ad hunc morbum disponere notat Fr. HOFFMANN *med. consult.* P. I. p. 292.

(z) SYDENHAM p. 536.

deficiat, tum fibræ solidæ nerveæque vires cadant: Diuturnam hinc a carnibus abstinentiam incusat SYDENHAM (*a*); diætam mere vegetabilem CHEYNE (*b*); abstinentiam inediamque WHYTT (*c*), aliique: qua ipso vitali attritu dissolvitur compages sanguinis, acre salinum oleosumque evehitur: victu vegetabili liquida animalia, ipsamque crustam inflammatoriam sanguinis dissolvi, suis evicit experimentis Theoph. LOBB (*d*); ut perpetuum inde effectum in mole corporis imminuta (*e*), debilitate (*f*), imo paralytica adfectione inducta, viderit. Fructuum horæorum eadem ratio ac noxa est, in dissoluto ab abusu sanguine (*g*), ipsoque naturali, quod a muco fibras involvente est, munimine nimis absterso (*h*), aucta sensibilitate (*i*); queis affectibus, accedente aëris, qui copiosus inest (*k*), per fermentationem evoluti, immani distensione, hypochondriacis plurimum nocent (*l*); atque in plebe maxime, horum uti & musti pomacei abusui inhiante, ad hunc morbum producendum conferunt. Sacchari eædem noxæ sunt, cujus vis insignis saponacea (*m*) eosdem in effectus (*n*) conspirat; atque uti

(*a*) SYDENHAM p. 504.

(*b*) CHEINE *act. Edinb.* T. VI. p. 28.

(*c*) WHYTT p. 312. HOME l. c.

(*d*) *Th.* LOBB. *de calc.* p. 34. HALLER *elem.* T. VI. p. 200.

(*e*) *Th.* LOBB p. 131.

(*f*) *Th.* LOBB p. 234.

(*g*) Ex immodico fructuum horæorum usu serum sanguinis viridissimum vidit HUXHAM P. III. p. 69. musti ex fructibus horæis vim solventissimam testatur *Abhandl. der Naturforschenden Gesellsch. in Zürch.* P. I. p. 282.

(*h*) Hinc diarrhææ a succo fructuum maxime saponaceo HUXHAM l. c. pag. 64.

(*i*) Colica hinc sæva. TRONCHIN *de colic. picton.* p. 36. HUXHAM p. 60. 61.

(*k*) HALLER *elem.* T. VI. p. 222.

(*l*) BILGUER l. c. p. 186.

(*m*) GERHARD *m. m.* p. 215. 237.

(*n*) In sanguine soluto exp. SCHWENKII est *hæmatol.* p. 189.

uti a molliore vita vix abest, quin delicatioris gulæ a teneris jamjam annis delicias perpetuo comitatur, ita merito has inter causas pertinet (*o*): uti dulciariorum omnium, saccharatorum, mellitorum effectus nervis infestos, infantibus, fœminis, hypochondriacis, hystericis maxime obesse, Gaubius testatur (*p*). Acidæ ipsius acrimoniæ, a cibo vegetabili natæ, si liberior dominatur, is effectus constat, ut bilem aliosque influentes in digestionis operam succos enervet (*pp*); sed & ultra primas vias, uti in debilibus fit (*ppp*) eluctata, ipsum fibræ terreæ elementum dissolvat sensim, cum dictæ hactenus debilitatis, in solidis etiam invalescentis, effectu (*pppp*). Varia alia diætæ vitia sunt, quæ, vel ventriculi vires enervando, vel ejus specificam pervertendo sensationem, vel ipsorum liquidorum naturalem crasin turbando, agunt: Potuum certe nimiorum, spirituosorum hæc vis est, qua tum a crebra distensione languet fibra muscularis, tum papillarum nervearum sensus crebro alienoque turbatur stimulo, tum chylo, nimis diluto, hoc potuum gurgite, quin vires chylopoieticas expertus satis subactusque fuerit, in sanguinis orbitam præcipitato, crudo sanguis humore inundatur: quod vitium, licet Veterum Germanorum robore subactum facile, aliena nunc Recentiorum mollitie, quæ tantopere a Veteribus descivit, retento bibendi more, absque noxis demum hypochondriacis non perfertur; debilitatem saltem insignem tremulis manibus prodit, donec adsueto hesterni poculi stimulo animetur: accedit nimia ingestorum moles, victus lauti opiparique genera (*q*), ac frequens ille maxime aromatum ac gelatinarum ex utrisque Indiis & omnium animalium edulium genere concentratarum

 usus;

(*o*) Zimmermann *von der Erfahrung* P. II. p. 282. it. Bicker *vid. Götting. Anz.* an. 1768. p. 143.

(*p*) Gaubius *pathol.* §. 470.

(*pp*) Gaubius *pathol.* §. 325. Huxham P. III. p. 66.

(*ppp*) Huxham l. c. p. 14.

(*pppp*) Mackbride *Versuch* p. 163.

(*q*) Fraccassini l. c. p. 306.

ufus; quo non tam inteftinorum vaforumque omnium fyftema gravatur debilitaturque, quam naturalis fanguinis crafis pervertitur, atque intimius acrimoniæ eo genere imbuitur, æque compofito, ac cibi folent arte coquinaria componi: Accedit vita fedentaria, plerumque accufata, quæ exclufis circulationis venofæ fubfidiis, quæ ab actione mufculorum pendent (*r*), fanguinem in minoribus vafis congerit; naturales, quæ a motu funt, dotes pervertit; atque inertiori demum fyftematis VP. finu adcumulat, vires chylopoiefeos, porrecto ubique infarctu, adcumulata cruditate, enervat: qua eadem ratione ipfos etiam opifices, mulieres, hypochondriafis obnoxios reddi, Bilguerus teftatur (*s*). Potuum calidorum abufus huc fpectat, quo infantum non tam teneritudinem caloris perpetuo quafi incubantis opera fovere, quam omnes fere in adultis aut ventriculi, aut aliarum partium morbofas adfectiones, atque frigoris potiffimum in ventriculo fenfum folari, atque calefacere in meliorem digeftionem contendunt: fed certe, uti frigus illud a laxitate eft; ita eo medelæ genere eo increfcit magis; quo certius conftat, aquam calidam omni phænomeno inter emollientiffima remedia pertinere; quo effectu per totum demum corpus porrecto, fluor albus, cachecticus pallor, leucophlegmatica mollities, coctionis turbatæ vires, ventriculi inteftinorumque languor, flatuum obmurmurantium perpetuæ moleftiæ, phlogofes hypochondriacæ nafcuntur: Coffeæ abufus forte majores noxas habet, dum acrimoniam ab oleo empyrevmatico, demum eliquato per ignem refinofo principio, genito, fubtiliffimam penetrantiffimamque jungit, quæ vafis minimis ipfisque nervis ftimulos adplicat, vix eluendos; quos manuum tremor, fingularis diffufa per corpus irritabilitas, phlogofes crebræ, fanguinis, ut vocant, ebullitio, aliaque & animi anxii phænomena fat docent.

§. IX.

(*r*) Haller *elem.* T. II. p. 326.

(*s*) Bilguer l. c. p. 131. 132.

§. IX.

Quanquam has caufas inter remotiores pertinere, haud difficulter adpareat; unde folidarum partium major fenfim mollities, teneritudo, debilitasque ingeneratur; potiffimæ nihilominus funt, quæ genus nervofum proximiore feriunt injuria; absque qua varii quidem morbi, vifcerumque abdominalium læfiones, vix veri illi, qui ad hypochondriafin pertinent, fpasmodici adfectus gignuntur. Huc inprimis acre illud refero, adeo nervis familiare, arthriticum podagricumque; quod depofitum, fedem in nervis figit amatque (*t*), ita vitali adhuc liquidorum orbita circumvolutum, nervos miris toties phænomenis laceffit, eorumque officia turbat, adfectus nervofos ventriculi, coctionis turbas parit (*u*): Inde hypochondriafis, erumpente podagra, mitefcit (§. IV. n. II.); quam metaftaticam PLATNERUS (*x*) confiderat. Aliæ ac potiffimæ ipfius mentis adfectiones funt, quæ in nervos primario, nervorumque origines agunt: Quatenus quotidianis lucubrationibus atque intenfiore mentis adplicatione in artium ac fcientiarum ftudio, vel quocunque alio munere vitam exigunt, continuo animi labore terendam: fed medullares fibras, encephalique compagem his mentis actionibus mutari patique, determinationem fanguinis huc augeri, incalefcentis a ftudio capitis phænomenon, tenfionis fenfus, gravitas percepta, defatigatio aliæque moleftiæ, vim nervis illatam docent; quæcunque fit pro varia, quam fingis, hypothefi, feu nimiam fibrarum cerebri dilatationem, a majori liquidorum impulfu factam, quam major debilitas mollitiesque excipit, impreffionibus minus refiftens (*y*); feu tenfionem in fibris medullaribus

(*t*) CASTELLI *exp.* §. 64. 65. 66. TRALLES *de op.* p. 320. 322. HALLER *apolog. contr.* HAEN p. 20. HEUERMANN *chir.* T. I. p. 49.

(*u*) WHYTT p. 121.

(*x*) PLATNER *art. med.* §. 463.

(*y*) HALLER *not. ad præl.* BOERH. §. 415. lit. p.

bus (z), aut arrectionem, partibus nervosis communem, aut tremorem, oscillationem, aut quæcunque motus genera (a) concipias: adparet saltem, vim eam pro intensione adplicatione ac diuturniore, summis demum gradibus intendi; inde fibræ nerveæ debilitas, facillima oscillandi vis celeritasque, mobilitas ingens, flexilitas nimia inducta, mutata in variis partibus sentiendi ratio, & quæ his jungitur, idearum, menti obversantium, conditio, summa vivacitas, sed & aberratio facilis, atque aliena combinatio consequitur: Debilitatem nervosam variosque inde pendentes morbos, vires digestionis prostratas (b), præmaturum senilem marasmum inde repetit LUDWIG (c); qui effectus eo promptiores nocentioresque sunt; quo vehementior cogitationum in eandem rem intentio est, non interrupta; qua pars una sensorii communis violentiam patitur haud minorem, quam musculi singulares fortiter diuque contracti; stamina ejus tam pertinaciter arrigi, credit GAUBIUS (d), ut remitti dein nequeant, aut oscillandi finem non faciant, acrius commota, aut nimium distracta, tenorem denique amittant.

Iidem huc pertinent, qui a teneris severioris disciplinæ ac religionis præceptis imbuti, absque rectiore boni malique judicio, omnia tuta timent, perpetuis animum scrupulis flagellant, hominum consortia fugiunt, atque nonnisi propriæ imaginationis ideis, ac suarum vigore imaginum pascuntur, quem nec doctioris demum Theologi consilia deleant. Similis aliorum animi adfectuum hæc potestas est, præcipue quæ tristitiam, mœrorem diuturnum, metum ac diuturnas edaces curas spectant; quorum adfectuum primarii in genere nervoso effe-

(z) FRACCASSINI p. 297. 301.

(a) Sensus internos motu fibrarum exerceri, probabile est. ZIMMERMANN l. c. P. II. p. 502.

(b) ZIMMERMANN l. c. p. 505.

(c) LUDWIG *de studiorum contentione* §. II. VIII.

(d) GAUBIUS *pathol.* §. 529.

effectus luculenta debilitatis nervosæ phænomena produnt; queis tum fracto motu cordis, ut necesse sit, suspiriis transitum per pulmones expedire, tum vasorum nervorumque languore adpetitus hebescit, perspiratio imminuitur (*e*), menses supprimuntur, vel nasci impediuntur (*f*), pallor inducitur, aliaque languentis circulationis, dejectæque vis nervosæ phænomena increbescunt; queis tum contagium facilius suscipitur (*g*); tum febres malignas nervosas (*h*), maxime inde bellorum tempestate (*l*), atque in obsessis urbibus (*k*), frequentes generant; terrorque ac metus variolas pejores, lethales (*l*), ipsasque operationes chirurgicas infelices reddere (*m*), febrem incurabilem lethalemque accersisse visus est (*n*). Imo tanta mœroris vis observata est, ut subita quadam cordis paralysi, mortem subitam induxerit, cujus exempla collecta referunt cel. viri (*o*): quales certe nervorum circulationisque injuriæ dum loca feriunt, præcipua nervorum vi gaudentia; primos in turbando ventriculo sensus (*p*), atque languescente sanguinis circuitu, præcipuas in vasorum abd. systemate moras hypochondriacas inferunt. Terroris iidem, sed magis subiti effectus sunt; queis novi virum summo a subita amici morte percepta, terrore perculsum, ac præcipuis inde supra dictis sympto-

(*e*) SANCTORIUS *sect. VII. aph. 15.* SWIETEN T. II. p. 38.
(*f*) Hist. morb. Vratisl. p. 313.
(*g*) DEGNER *de Dysent.* p. 80. ZIMMERMANN l. c. p. 851.
(*h*) HUXHAM *de aëre & morb.* p. 166.
(*i*) ROEDERER *de morb. mucoso* p. 22. 30.
(*k*) BAGLIVIUS *prax.* p. 150.
(*l*) HUXHAM P. II. p. 132.
(*m*) *Recueil periodique* T. II. P. II. Art. I.
(*n*) *Medicinische Anecdoten* P. I. p. 25.
(*o*) KAAW *de impetum faciente Hipp.* p. 431. GAUBIUS *serm. acad. II.* p. 26. ZIMMERMANN P. II. p. 474.
(*p*) HALLER *Elem.* T. VI. p. 158.

ſymptomatibus (§. II. n. 2. 4. 6.) diu conflictatum. Amoris hic locus fere princeps eſt, ſeu deſiderii rei concupitæ longius protracti; ſanguinem incitari, accelerari pulſus (*q*), ſæpe cum inæqualitate, quem admixto metui tribuas, refert HALLERUS (*r*); Vehementior amor ſummum calorem, palpitationem, ruborem, robur, pene cum tremore, & ſenſum quaſi ignis, per vaſa ipſorum artuum fluentis facit: bene CLAUDIANUS (*ſ*):

Hic habitat nullo conſtricta licentia nodo,
Et flecti faciles iræ, vinoque madentes
Excubiæ, lachrymæ rudes, & gratus amantum
Pallor, & in primis titubans audacia furtis
Jucundique metus, & non ſecura voluptas.

Sed quantæ hic ſimul nervorum totiusque vitalis atque animalis œconomiæ injuriæ comitantur! Mora vel adempta potiundi ſpes elegantulos toties adoleſcentes virginesque lurido pallore induit, tabe (*t*), oculorum vigore fracto ac ſenili prope intra orbitas ſepultura, atra bile, chloroſi, erotomania conficit, crucemque medicis tacitos hos inter malorum fontes figit: Catalepſin inde inductam refert ZIMMERMANN (*tt*); ſed & minoribus malorum gradibus variæ generis nervoſi turbæ ſunt; ut Veteres de ipſo Jove dixerint, eum ſimul amare & ſapere non poſſe: Recte ſervus ille apud HORATIUM (*u*):

O Here! quæ res
Nec modum habet neque conſilium, ratione modoque
Tractari non vult: Amoris hæc ſunt mala.

Ne

(*q*) Venam frontis ruptam adnotant *Mediciniſche Anecdoten* P. I. pag. 199.

(*r*) HALLER l. c. T. V. p. 582.

(*ſ*) CLAUDIANUS *de nuptiis* HONORII.

(*t*) Sine hoſte victus marcet, & veneri vacat reparatque amores. Senec. *Trag. Agamemnon* p. 429.

(*tt*) ZIMMERMANN l. c. p. 489.

(*u*) HORATIUS *ſerm.* L. II. S. III.

Ne odium parerent memoriæ recentis exempla, plura ex antiquis Veterum monumentis recensuit GAUBIUS (x); sed recentia refert ZIMMERMANN (y). Licentioris vitæ effectus aut matrimonii vel præmaturius, vel seriore ætate, vel queiscunque imbecillioris constitutionis hominibus initi, præcipuæ hæ noxæ sunt; queis toties insecta mascula imitantur, quæ pleraque post Venerem intereunt (z). Nobilissimi humoris, qui cum secretione spirituum multa communia habet (a), jactura nimia uti in toto corpore vim nervosam dejicit, nervorumque morbos amplissimo catalogo producit; ita debilitatis auctæque irritabilitatis in ventriculo & intestinis symptomata procreat; ut inde morbi hypochondriaci potissimam nostra ætate causam cel. Viri repetant (b), nostrique sæculi longævitati obesse, imminuere civium numerum videatur (c); ac regionum depopulationem plus minus sensibilem exinde demonstret BILGUER (cc); quod nimirum in pessimam illam mentis corporisque virium profusionem & propensio, & contracta inde effæminatio a progenie in progeniem descendat, de quo jam suo tempore HORATIUS lib. 3. Ode 6.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

D 2 §. X.

(x) GAUBIUS *serm. acad. II.* p. 33.
(y) ZIMMERMANN l. c. p. 490.
(z) HALLER *Elem.* T. V. p. 576.
(a) TISSOT *de febr. bilios.* p. 188. 208. GORTER *de perspirat.* p. 215. 219.
(b) FRACCASSINI pag. 306. ZIMMERMANN l. c. p. 392. WHYTT l. c. p. 84. BILGUER p. 56. BICKER *Gœtt. Anz.* an. 1768. p. 142.
(c) BALLEXERDE *phys. Kinder-Erziehung* p. 24.
(cc) BILGUER l. c. p. 80. 81. 82.

§. X.

Verum quid demum viſcerum, in abdomine ſitorum, glandularumque obſtructiones, vaſorum atrabilarii infarctus ad hunc morbum producendum alendumque conferant, quæſtio nobis diſcutienda. Atque latentibus hiſce vitiis licet antiquioris, & noſtri ævi complures pleramque morbi vim originemque adſcripſerint; ut in curando morbo etiamnum in has tollendas obſtructiones totis medendi viribus connitantur; neque negari poſſit, ipſis cadaverum ſectionibus toties palam ejusmodi demonſtrari vitia (§. V.); ut ſub ſpaſmis hypochondriacis gravior ſæpe viſcerum labes ſubeſſe viſa fuerit, improviſo aliquando lethalis, adnotante Morgagnio (*d*); quorſum omnino Veterum de atra bile obſervationes doctrinæque conferunt, quæ late in turbandis encephali mentisque functionibus, in commovendo nervorum ſyſtemate dominaretur; communique obſervatione conſtat, poſita in primis viis cauſa putrida, toties emoveri mentem non tam, quam ſub ingenti vitæ languore, ſpaſticos illos tremuloſque motus, in malignis putridisque febribus per univerſos diffundi nervos.

Sed ſi rem paulo accuratius conſideremus, alia omnino morbi phænomena ſunt, alius exitus, facies plane alia morbi eſt; qui hoc viſcerum infarctu vel atrabilario vel ſcirrhoſo fundatur: Sub varia functionum læſione chronica, lentis plerumque variorum morborum adfectionibus, nunc colicis doloribus, flatulentis etiam, adpetitus proſtratione chronica, moleſto preſſionis ſenſu in hypochondriis, & circa ventriculi regionem, nunc in icterum, nunc cachexiæ alia genera faceſſit; nunc leucophlegmatico corpus humore inundat; vel in varia demum hydropis genera deſinit; nunc lentas inter miſerias tabe conficit, nunc febrilibus etiam motibus illudit; queis, ut ſæpius novi, gangrænam abdominalem evolvunt; qua iisdem fere, ac in malignis ſolent, phænomenis moriuntur: ſed plerumque ſpaſmorum hypochondriacorum deſcripta facies

(*d*) Morgagne l. c. Ep. XLV. n. 27.

facies abest; lienumque induratorum exempla sunt, absque ulla hujus morbi suspicione (*e*): nisi quidem eadem hypochondriasis scaturigine, circulationis abdominalis vel a spasmis, vel debilitate turbetur tenor; indeque adgesto in vasis liquido, viscerum infarctus, sanguinis a stasi mutationes atrabilariæ, adeoque effectu morbi inducantur (*f*); unde infarctorum viscerum, aut atræ bilis cum vera hypochondriasi confunduntur ac complicantur symptomata: Atræ bilis certe plerumque accusatæ, quam e Veterum tenebris revocavit Boerhave, nulla alia ratio est, quam sanguinis diuturna stasi corrupti colliquatique, quam aliquando cadavera ostendunt (§. V.) vel ejus inter turbatas motuum leges, e vasis in ventriculi intestinorumque cavo patentibus, sensim extorti, atque inter eorum numerosas plicas detenti, varieque corrupti (*g*); quo per vomitum quidem, aut alvi dejectiones nigras, quas atrabilarias vocant, eliminato, morbi levamen fit (§. IV. n. VI.), haud vera curatio; dum manens ab obstaculis ac debilitate sentina facile pristina sanguinis corruptela ac colluvie exundat: Inde est, quod toties nullas viscerum mutationes, nisi solam aliquando debilitatem flacciditatemque cadavera exhibeant (§. V.); id quod Sylvii observationibus (*h*) confirmatur, qui se ultra centum hypochondriacos partim, partim melancholicos, liene salvo & incolumi præditos, dissecuisse adfirmat; docent ii præcipue, qui summis mentis turbatæ erroribus, melancholiæ propriis, violentas vitæ propriæ manus inferunt, cadaveraque relinquunt, quæ omni labe vacua, atræque nescia bilis, solos nervorum spirituumque errores recondunt, quos frustra acie anatomica quæsiveris: Inde est, quod solis animi vitiis morbus producatur ac foveatur, atque voluptatis flagellum, sæpe & calcar existat; quod quo plus instiget, eo magis

 noceat

(*e*) Littre habet *in act. A. R. Sc.* an. 1700. Obs. 7.

(*f*) Varias viscerum mutationes ad effectus morbi hypoch. reducit. Whytt p. 168.

(*g*) Eandem rationem refert Whytt p. 183.

(*h*) Adducit Quelmalz *de liene* §. 26.

noceat (§. II. n. 8.): Inde eſt, quod ſola ætate toties, quæ teneriores nervos indurat, aut mutato vitæ genere, quo facillimæ in nervis oſcillationis ſtimulus hebeſcit, absque relictis in corpore noxis, vel ceſſet omnino, vel ſopiatur (§. IV. n.I.), donec nova prurientis ideæ occaſione, in priora vitia (§. IX.) animus redierit: Inde eſt, quod phthiſin ſæpe nervoſam (§. IV. n. IV.) continuato malo, relinquat; quæ potiſſimum ſolidarum partium ſumma fracedine, liquidorum exhauſtorum aut penuria, aut peſſima craſi, a ſpirituum proborum indole alieniſſima, conſiſtit. Eadem hæmorrhoidum ratio videtur, in qua toties præcipuam atque immediatam morbi hypochondriaci cauſam referunt (§. II. n. 6.): Quæ certe, uti vaſorum abd. debilitate, aut circulationis venoſæ obſtaculis generantur; quæ plethoram abdominalem, cum vario vaſorum, quoquoverſum porrectorum, onere ac ſymptomate, accumulat: ita facillimo quidem hujus nevropathiæ effectu fiunt; dum cum debilitate nervoſa neceſſario illa circulationis impedimenta conjunguntur (*i*): Verum dum ſimilibus adeo, quæ debilitatem inferunt, cauſis naſcuntur (*k*) hæmorrhoides; aut eodem ſaltem fonte, niſi juncta majore nervorum injuria, nevropathia ſcaturiet; aut inter cauſas hujus remotiores pertinent; uti plures dantur hæmorrhoidibus, absque hypochondriaſi, obnoxii; dum inter hujus quidem ſymptomata frequentiſſimæ eſſe ſolent hæmorrhoides. Verum & ſimul adparet, ab earum fluxu etiam aut parum fiduciæ ſolatiique, licet exſpectarint plurimum, aut nihil plane conſequi: Novi aliquos, qui quo ferociore turbarum nervoſarum paroxyſmo impetuntur, hæmorrhoidum copioſiore ac quotidiano fluxu, media inter ſolatia medicorumque exſpectationes, laborant; qui hæmorrhoides nunquam copioſiores, quam inſtantibus hiſce turbis, ſentiunt

perinde

(*i*) Nullum juvenem quidem hæmorrhoidarium vidit *Ludwig*, niſi languidum, & variis affectibus ſpaſticis obnoxium; *de hæmorrhagiis ut cauſa debilitatis* p. 10.

(*k*) Nunquam bona ſolida, ſed morboſas affectiones ab hæmorrhoidibus vidit TRALLES *hiſt. Choleræ* p. 27.

perinde, ac alios urinæ aqueæ copiosæque stimulus admonet: Enimvero qui arteriosis finibus dilatatis funditur sanguis, quod quidem tum a venosi systematis immeabilitate ac resistentia, tum retro urgente arteriarum nixu, frequentissimum esse solet, sanguinisque fusi florida indole ac tenuitate cognoscitur; commodi nil certe, nisi ab imminuta aliquantum in continuo vasorum systemate pressione, sæpe plurimum damni adfert, continuatis sanguinis arteriosi dispendiis, maxime corporis robori nervorumque vigori inimicis (*l*): e venis, quæ atrabilariam piceamque saburram educunt, rarius funditur; licet aliquando inter perversas motuum leges, contrariaque circulationis itinera, vigente spasmorum vi possit, levamen utique maximum malo adferet, sed manentibus causis, in infarctu vel vasorum atonia positis, propediem redituro: licet & toties hæc sanguinis atrabilaria conditio, quam concipiunt, plane absit, atque cum sequente nervorum malacia, cum disparente hæmorrhoide, circulatio naturali ordini viisque nunc liberatis, absque relictis aliis noxis, restituatur.

§. XI.

Verum & suis Therapia difficultatibus laborat; dum eo tollendarum, quas vulgo concipiunt, obstructionum studio, omni remediorum aperientium, solventium conatu, omni genere conquisito intensoque, succurrere adlaborat. Eoque scopo salium diverso genere, sapone tum artificiali, tum naturali, gummi ferulaceis, succis herbarum recentium expressis, interpositis crebris catharticis, aquis mineralibus, animose epotis, imo & balneis, toties pugnat; eoque medelæ genere, dum vel pejus inde habent, vel nihil saltem emendantur ægri, mutatis formulis, omnia harum classium remedia successivo ac diutissimo usu convocat. Verum lustrato satis hypochondriasis mirabili ingenio, elucet potius, omnium solventium, fundentium colliquantiumque inanem, imo nocivam operam esse: salium certe,

(*l*) *Conf.* de HAEN *de hæmorrh.* p. 35. LAMBSMA *de fl. ventr.* p. 124. *Frænck. Anmerck.* Vol. VII. p. 499.

certe, quæ præcipue acido vitriolico componuntur, uti ♀ ☾lat. arc. dup. &c. difficiliusque ſolubilia ſunt (*m*), continuatus uſus ſtimulos plus minus rigidos infert; queis perpetua irritatione & aquoſa colluvie fibra debilitatur magis (*n*); atque in ſanguinis etiam maſſam eluctatis, varii in eodem ſolvendo effectus prodeunt, qui a ſalibus quidem lixivis promptiores (*o*); neque a mediorum l. neutrorum genere abſunt (*p*); ut ſuſpecta merito ob vaſorum ſtimulum, & acre, humoribus inductum habeat cl. MALOUIN (*q*), cautelasque inde ab humorum diſſolutione repetat POHLIUS (*r*). Siqua vero, uti facile fit, a turbata coctionis opera, atque facili ingeſtorum fermentatione pleniore, copioſos ubique flatus eructante, aut ipſa vaſorum, in inteſtinis exhalantium, debilitate (*s*), cruditas pituitoſa copioſior ſubſit, quæ glanduloſos partium vicinarum glomeres facile infarcit; teneriorum ſalium facileque ſolubilium uſus ſat probus eſſe poteſt, dum roborantibus jungitur, uti ♀ ſolub. laudatur a WHYTTIO (*t*) it. BALDINGER (*u*); quique a ſolubilitate fere reliquis præfertur (*x*); licet & eas aliquando noxas adnotet cl. WHYTT, queis flatus augeat, ac deliquia accerſat: Eædem certe tum ſaponis veneti aut alicantini, tum ſaponum nativorum ſunt cautelæ; quorum virtute maxime gummata ferulacea, ſuccique plantarum nativi ſcatent; ſed uti in fundendis diſſolvendisque coagulis, ita in naturali

etim

(*m*) SPIELMANN *elem. chem.* p. 49. 124.

(*n*) LUDWIG *inſt. cl.* §. 817. PLATTNER *art. med.* p. 105.

(*o*) SCHWENCKE *hæmat.* p. 190.

(*p*) GERHARD *MM.* p. 166.

(*q*) MALOUIN *med. chym.* p. 255.

(*r*) POHL *de excretionum moderamine* §. X.

(*s*) WHYTT l. c. p. 146.

(*t*) WHYTT p. 393. form. probam componit. KLEIN *ſelect. med.* p. 191. ex pulv. flav. cort. aur. rh. ♀ r. ſol. addito elæoſacch. cajeput.

(*u*) BALDINGER *Kranckh. der Preuſſch. Armée.* p. 131.

(*x*) CARTHEUSER *elem. chem.* p. 200.

etiam sanguinis densitate destruenda vi pollent; atque ea, quam prædicant, abstergendi & nudandi virtute, abraso naturali mucoso tegmine, fibram attenuant, irritabiliorem sensibilioremque reddunt, & exorbitantes jamjam irritabilitatis auctæ stimulos necessario exasperant; id quod copiosa observatione constat, nullosque non convincit, nisi eos, qui sinceritatem HIPPOCRATIS, SYDENHAMI aversantur, errores suos, ut doceant, palam profitentium. Diætæ vegetabilis fructuumque horæorum noxas ex iisdem rationibns & cel. virorum observatis supra jam adduxi §. VIII. Sed & ex his simul pares fere aquarum mineralium cautelas intelligimus, quas teneriori præcipue ♂li principio scatentes, nostris in oris Schwalbacenses commendant, atque ut efficaciores reddant, singulo primo haustui ⊖ sedlic. dosin adjiciunt: sed ea certe, qua solent, aquarum ingurgitatione, ac ingenti velut cataclysmo, tantum abest, ut vel infarctus demoliantur, vel acre eluant, vel robur fibris debilibus addant, ut potius obruant, ac quasi suffocent vires superstites; quæ validæ satis requiruntur, ut eæ excernantur copiæ, quæ intra corpus adsumptæ, solis vitalibus viribus reguntur, ut suis excerni possint colatoriis (*y*): major omnino tum a copia liquidi distendente, tum ab aqua relaxante, quam paucis dilutissimi & enervatissimi martis viribus, est effectus: quo debiliora certe & irritabiliora hypochondriaci vasa læduntur (*z*), adjecto præsertim salium usu, alvoque quotidie stimulata, junctis adeoque noxarum utrarumque viribus (*a*): salubribus mehercle effectibus, quos spondent, contra

(*y*) *Confer.* FRACCASSINI p. 338.

(*z*) Debilioribus cavendas vult BOERHAVE *de morb. nerv.* p. 153. aquas minerales iis nocivas, quibus laxior corporis habitus, & atonia ventriculi & intestinorum, pluribus momentis probat TRILLERUS *de specificorum remediorum fide dubia* §. XI. nocivas iis, qui imbecillitate laborant *Fr.* HOFFMANN *med. cons.* P. I. p. 91. it. indebilitate ventriculi, viscerumque abd. l. c. p. 193.

(*a*) Crebra purgantia ad hunc morbum disponere. Conf. F. HOFFMANN. l. c. p. 292.

tra dicit experientia; neque ulla, nisi calidis matutinis potibus nunc substituto frigido, atque animo ad res, magis placentes, converso, corporisque ex lege & compotantium consuetudine, facta majori exercitatione salubritas esse potest; siquidem dictis aquarum noxis superandis par est. Thermarum ac balneorum calidorum rarior quidem usus ac solet esse commendatio; nisi qui viscerum suorum obstacula fibrarumque stricturas externa potius emollitione solari, quam curare velint; dum cum ea interim partium solidarum debilitas increscit, auctaque externa pressione, accedente a calore rarefactione motuque accelerato, impetus in viscera debiliora, cum vasorum toties læsione rapitur, frequenti hæmoptoes aut hæmorrhagiæ cujuscunque aut apoplexiæ eventu. Balnea frigida, adparet, nisi hypochondriaca respueret mollities, majore nervis vasisque robore reddito, omnino utiliora esse (*b*). Venæsectionis porro, ad quam fere præ reliquis frequentius inter suos, quos animo agitant metus, confugiunt hypochondriaci, regulas ex his haud difficulter statuimus: Sed eam certe, quod cum mole imminuta, & ipsa specifica densitas sanguinis decrescat, auctaque seri ad globulos rubros proportione (*c*), inde laxitas debilitasque cum necessario irritabilitatis & ataxiæ augmento (*d*) inducatur, nocivam plerumque cum cel. Viris (*e*) adgnoscimus; ipsique, si recte adtenderint, facile consentient ægri; qui faciliore fere animi deliquio inde obnoxii, ventriculi turbatas functiones, adpetitum prostratum (*f*), alias debilitatis auctæ, ac ferocientium spasmorum effe-

(*b*) Ea commendat, cautelasque addit WHYTT p. 263.

(*c*) HALLER *elem.* T. II. p. 330.

(*d*) TISSOT *de febr. bil.* p. 123. 126. 156. it. nov. act. N. C. T. I. pag. 81.

(*e*) FRACCASSINI l. c. pag. 346. LIEUTAUD *l.* c. pag. 92. PLATTNER *art. med.* §. 467. BILGUER p. 923. nov. act. N. C. l. c.

(*f*) TISSOT l. c. p. 123. CARTHEUSER *diæt.* p. 26. UNZER *arzt.* P. X. p. 156.

effectus (*g*) sentiunt, vel eos, etsi mitigati visi fuerint, paulo post majori violentia redituros. Nos ea in medendi methodo melius certe a diæta, quam in medicamentis consilium petendum, cum cl. LIEUTAUD (*h*), ipsoque FR. HOFFMANNO (*i*) aliisque judicamus, nervorumque turbas ac ipsos sensim juventutis errores religiosa animi tranquillitas compescet facilius, quam importunum medendi studium, quod plerumque etiam hos inter metus fluctuans animi inquietudo turbat: Id agimus nimirum, ut animo ad placida objecta, eaque sæpe variata converso (*k*), evitatis causis omnibus, unde illa in nervis debilitas, atque in quasvis ideas exorbitans facile irritabilitas augeatur foveaturque, corpus vario sensim exercitationis genere roboretur (*l*), atque a sua victus aërisque mollitie consueta revocetur; corticis interim peruviani usu, cujus tantæ in eo genere laudes sunt (*m*), nervosum genus, fibras solidas roboremus, sanguinis vitiosam tenuitatem corrigamus; utraque ratione tum coctionis instauretur opera, liquidorumque vitia, aucta vitali vi, sensim dispareant; addimus pro re nata, vel interponimus lenes rhabarbari doses, quod roborando non tam intestinales fibras, quam latentem saburram irritantem evacuando, eosdem in effectus conspirat: Martialium quoque hic summum usum commendant, ipsaque in substantia (*n*); nisi ventriculus nimis adhuc irritabilis respuerit;

 Tinct.

(*g*) In morbis spasmodicis per VS. spasmos intendi observat FR. HOFFMANN *med. rat. syst.* T. I. p. 302.

(*h*) LIEUTAUD l. c. p. 93.

(*i*) FR. HOFFMANN l. c. p. 415.

(*k*) Animi recreationem optimam statuit FRACCASSINI atque præsertim per concentus musicos p. 348.

(*l*) Equitationis summos usus observat SYDENHAM p. 522. solam hanc efficacem vid. in Hamb. Magaz. Vol. XI. p. 345.

(*m*) SYDENHAM p. 519. LOESECKE *MM.* p. 441. FRACCASSINI p. 328. TORTI *Therap. febr.* p. 429. HEUERMANN *Bemerck.* P. I. p. 145. WHYTT infusum vinosum aut spirituosum laudat & exemplis probat p. 254.

(*n*) WHYTT p. 259.

Tinct. ⊕l. ♂t. ♀risata Ludov. similesque teneriore ♂tis ⊕lo constantes (*o*), vario encomio, virorumque cel. consensu celebrantur: adduntur extracta amara (*p*); quorum tum in majore fibrarum robore, tum facillima illa, quæ in ventriculo debili est, ingestorum fermentatione prohibita aut moderata, experimentis PRINGLII constat (*q*): dum spasmorum interim ingruentium ferociam castoreatis, vel assa fœtida, vel moschi etiam dosi addita, vel leni cautoque opiato (*r*) compescimus: qua medendi ratione diu continuata, & mala demum & nostræ tractationi imponimus

F I N E M.

(*o*) Hist. morb. Vratisl. p. 24. pharmacop. pauper. Edinburg. p. 60.

(*p*) WHYTT p. 253. 288.

(*q*) PRINGLE p. 412.

(*r*) Crebrior usus nocivus Fr. HOFFMANN T. II. p. 277. effectus noxios, debilitatem, atoniam refert WHYTT p. 271. licet sæpe necessarium & utile sit.



COROL.

COROLLARIA.

1. *Qui sufficit morbo cognoscendo, sufficit & eidem curando:* 2. *quousque vero in cognitione Medicus rationis & experientiæ inopia decipi potuerit a Natura, eousque, fortunæ suæ studiosius, & ægros & mundum decipiat necesse est.* 3. *Ipsa plebis decipi amantis amens credulitas & fanatica superstitio frequentissimum fuit Medicastrorum ignorantiæ asylum.* 4. *Quoties in febribus acutis perversæ eorum medelæ pro votis & promissis non obsecundantibus indomabile morbi venenum accusavere? Audaces interim officiosissima cum sedulitate ac consolatoria garrulitate ægro famosissimis suis antidotis ac aureis alexipharmacis ignem subjicientes, exustis aut in putridum conversis humoribus, demum vel prodeuntibus pessimi ominis exanthematibus de veneno expulso victores triumphabant, vel silentibus subito & simul pravis symptomatibus (gangrænæ præsentis & sphaceli testibus) de morbo feliciter subacto gloriabantur læti, lethi mox subsecuti nil suspicantes.* 5. *Miros Naturæ in morbis nervosi generis lusus ubi ignorabant, quoties Magi ac sagæ, quoties (rideamus amici) Dæmones ipsi innocentes sub formula judicabantur? qui, ubi Hypochondriacæ Hystericæve passioni, ubi Melancholiæ, Maniæ, Epilepsiæ, catalepsi, aliisque hujus ordinis morbis naturales ac proprii melius innotuissent paroxismi, citius certe Medicorum aphorismis ac Theologorum exorcismis respondissent, obsecundassent.* 6. *Vindicata autem est (sint grates Deo, in orbe erudito a suis superstitionibus Medicina; neque, spero, in eas recidet usque, dum revivi scet virtus regum Galliæ in curandis strumis, Regum Angliæ in sananda epilepsia, Regum Hispaniæ in dæmonibus fugandis.* 7. *Febres miliares nostra in urbe & vicinia, in puerperis etiam, nunc esse rariores, rarissimeque malignas,*

introductæ Sydenhami, Boerhavii, Haenii, *aliorumque recentiorum methodo debetur.* 8. *Exanthematicæ febres pleræque primarum viarum vitioſo fomite aluntur atque diarrhœis l. perfecte, l. tanquam criſi acceſſoria ſolvuntur, optimamque methodum in cauto leniorum catharcticorum uſu habent.* 9. *Variolarum Epidemia, quam cœlum noſtrum ſemper ante hac benigniorem, inoculationemque minus neceſſariam fecerat, nunc per aliquot annos multo funere infamis, eam reddit pro ſalute publica maxime commendandam.* 10. *Cruſta, quam in ſanguine per VSiem emiſſo, inflammatoriam dicunt, inflammationis partem haud habet, neque denſum illud phlogiſticum ſiſtit, unde plerasque inflammationes perperam deducere ſolent.* 11. *Cruſta hæc in ipſis globulis ſanguineis ſolutionis potior, ac determinata ſpecies, pluribus naturæ uſibus ſervit, tum involvendis demulcendisque inflammationis ſtimulis, tum ſi ſuperari nequeant, moto bono pure eliminandis.* 12. *Verum & ſolutio hæc nimia in febribus inflammatoriis, tum circumfuſis undequaque concretionibus, tum deſtructa ſanguinis denſitate, tum ſua per celluloſas viſcerum vitalium effuſione lethalis eſt, ut perinde inter inflammationis exitus numerari mereatur.*

Victor *Apollinæis* Tua cinctus tempora lauris
Doctor eris, Medicique Chori celebratus honore.
Juncta *Machaoniis* nunc nectito ſerta coronis
Quæ Tibi lætus *Hymen* thalamo dicata jugali
Porrigit, & Francisca pio ſacrabit amore.
Perge, per Ottonis ſylvas, quo Te bona ducunt
Fata, ſalutiferis herbis Tua nomina late
Sparge, ſeges docti redeat Tibi læta laboris.

H. G. A.

FACUL-

FACULTATIS MEDICÆ h. t. PRO-DECANUS

FRANCISC. SCHOENMEZLER

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR, PROFESSOR PUBLICUS ET ORDINARIUS; NOSOCOMII MILITARIS MEDICUS

AD

DOCTISSIMI MEDICINÆ LAUREÆ CANDIDATI

FRANCISCI ZUCCARINI Mannheimensis,

AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ MAGISTRI, SATRAPIÆ MOSBACENSIS PHYSICI ADJUNCTI

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

DE HYPOCHONDRIASI

DIE FEBRUAR. A. D. MDCCLXIX.

INVITAT

PRÆMISSO JUDICIO

De Necessitate Laxantium in morbis exanthematicis.

Heidelbergæ.

* * * * * * * * *

Si in morbis, a primarum viarum cruditatibus originem trahentibus, expurgationes ſuadeam, tantum abeſt, ut Medicorum aliquis contradicat, ut potius has tanquam maxime neceſſarias unanimi ore contendant; cum autem in febribus quoque exanthematicis alvum non movendam ſolum, ſed & liberaliter quandoque ducendam deprædicem, adeo hoc quibusdam & noſtrorum præprimis paradoxum videbitur, ut non temerarium modo, ſed & perniciosum quoque iſtud habebunt conſilium. Reclamantes enim illos ex ſchola Stahliana cum Junckero a) audio, febres exanthematicæ conatus principii vitalis ſunt, quibus motibus ſe- & excretoriis, ultra conſuetum ordinem auctis, miaſma aliquod ſubtile fermenteſcens ad peripheriam corporis extrudere intendit. Nolo longam cum illis de principii vitalis effectibus in corpus noſtrum diſputationem inire; charam illis, ab aliis ſat exploſam, largiar hypotheſin: verum ſi animam in expellendo miaſmate occupatam credant, animæ, quæſo, non pernicioſam ferant opem, non enim alexipharmacis, terreis, ſtrictura alvi, atque toto calidi Regiminis apparatu non boni quid inferunt, cum his cuncta potius exaſperentur.

Calidi Regiminis noxas oſtendere, a ſcopo meo alienum foret, neque paucæ hæ paginæ concederent, unicum tantum, quam in hiſce febribus alvum lubricam ſervare, quandoque autem largius provocare neceſſarium ſit, oſtendere allaborabo. Mirum cutim inter & alvum obſervamus conſortium, fluente enim diarrhœa exſiccatur alvus, ſudoreque alvum adſtringi poſſe, nemo eſt, qui non noverit, & quoties ex cohibita tranſpiratione diarrhœæ excitantur, illi, qui ſuo damno pedum & abdominis refrigerium arcere didicerunt, bene noſcunt. Nonne autem quod, quæ per cutim ſecedant, & per alvum duci poſſe, inde inferamus? Poſitoque, ſed non conceſſo, in morbis exanthematicis miaſma per cutim eliminari, nonne ſi alvus moveatur, non modo natura non turbabitur, ſed miaſmatis ſimul portio,

a) Conſpectus Medicin. pract. auth. Junckero. pag. 595.

tio, quo mire natura allevietur, per alvum educetur. Innoxium igitur, alvum in morbis exanthematicis reserare eo magis habeant, cum ipsa natura, talem cum ægri levamine sæpius moliendo, viam ostendat. Cujus testem ipsum JUNKERUM habeo, qui cum de febre catarrhali Petechizante tractat, pag. 584. sic habet: *Licet diarrhœæ petechizantem morbum non solvant, nec ullum positivum emolumentum hisce febribus adferre videantur, nullum tamen notabile damnum inferunt, & longe minoris periculi sunt, quam alvi adstrictiones.* Quo diarrhœas his morbis frequentes, & innoxias concedit; & cum alvi adstrictiones perniciosas habeat, quod his alvi fluxibus perniciosa elliminentur, concedat necesse est. Verum non innoxium solum, sed, in morbis exanthematicis, alvus ut moveatur, summe necessarium habeo. Si enim miasma aliquod in corpus penetrare valeat, illud ad vias alimentares, ut deferatur, fieri aliter nequit, quomodo autem copiose ibi continuo sedentes humores eodem non inficiantur? Hos humores nisi educas, nonne stasi & calore febrili magis corrumpentur? Corrupti autem novum indies miasma sanguini suppeditabunt.

Cum autem nunquam noxium, sed necessarium quoque in morbis exanthematicis sit alvum sollicitare, quid, si ab acri bilioso, viscido, putrido in primis viis hærente morbus foveatur? Nullam tunc profecto exanthematum, quæ symptomatica tantum sunt, rationem habendam, sed ad putridam primarum viarum colluviem qua sublata febris sæpius quam citissime extinguitur, qua neglecta illa ex sphacelo intestinorum lethalis facile fit, respiciendum esse experientia didici; toties profecto licet serius vocatus unico catarctico, quo copiosæ bilioso-viscidæ sordes expurgatæ fuerunt, omnem cum maculis febrim profligavi, cumque miseram hoc morbo, quod medicatio a parentibus neglecta fuit, peremptam puellam secarem, sphacelosa vidi undique intestina tenuia, quæ copiosis, putridis, biliosis, mucosis, sordibus turgebant. Atque hanc bilioso putridarum sordium colluviem morbos exanthematicos producere, hasque febres ad biliosas, putridas pro intensionis gradu numerandas, symptomatum comparatio docet. Nonne enim in illis insignem lassitudinem, appetitum prostratum, linguam mucosam, flavam, atram,

aphto-

aphtoſam, anxietates, difficultatem reſpirandi, crebriores horripilationes, calorem mordacem, pulſum celerem, parvum, obſervamus? *Sæpius* conatus vomendi accedunt, & ſiqua rejiciuntur, aut viſcida ſunt, aut bilioſa, alvo ſoluta fœtidiſſimæ, flavæ, aut viridiſcentes fœces prodeunt. Hæc autem ſic ſe habere, teſtimonia virorum in Medicina digniſſimorum confirmant. MORTONUS b) morbillos & febrem ſcarlatinam a primo inſultu ſynochos, ac malignas ſuſpicari, fas eſſe, habet, atque inter ſymptomata, horrorem, nauſeam, vomitionem, cephalalgiam, laſſitudinem, fœtidatem oris, reſpirationem citam & anheloſam, hypochondriorum oppreſſionem refert.

ELLERUS c) cum de febribus malignis cum vel ſine exanthematibus agit; (hac autem ſectione omnes morbos exanthematicos comprehendit) inter ſymptomata magnam debilitatem & laſſitudinem, pulſum frequentem parvum, dolores capitis, dorſi & artuum, omnis cibi faſtidium, calorem ab initio levem, auctum poſtmodum, linguam ſiccam albicantem, cruſta obductam, diarrhœam, ructus putridos, & vomitus bilioſos numerat.

HUXHAMUS d) Petechiales febres, putridas appellat, atque inter ſymptomata præter maculas, capitis dolorem, nauſeam, debilitatem, atque languorem, reſpirationem difficilem, pondus atque dolorem ad præcordia, porraceæ & nigræ bilis vomitum, linguam ab initio albam, poſtea nigram, cruſta obductam, ſaporem omnium amarum recenſet.

CAR. ALLIONIUS e) de febre miliari tractans, in graviore caſu ſæpe tertio die poſt expulſionem bilioſam oriri diarrhœam fœtidiſſimam, hancque toto corruptionis tempore ſubſiſtere. Deſcripta autem ſymptomata in morbis bilioſis & putridis occurrere, ſiquis negaret, horumce morborum Hiſtoriæ,

 quæ

b) RICHARDI MORTON Pyretologia p. 12.

c) JO. THEODORI ELLER de cognoſcendis & curandis morbis. ſect. VI.

d) JO. HUXHAMI opera phyſico Medica, Tom. II. pag. 92.

e) Tractatio de miliar. orig. progreſſ., natur. & curat. auctore CAROLO ALLIONIO. pag. 41.

quæ TISSOTUS f) KLOEKHOF g) ROEDERER h) & alii omni fide digniſſimi nobis conſignaverunt, abunde demonſtrant; quibus raro febres bilioſas aut putridas, quin exanthemata effloreſcant, graſſari, ſimul apertum fit. Exanthematicos igitur morbos ab acri viſcida plus minusve corrupta, ſubtili putrida bilioſa materie in primis viis confluente provenire apparet; quod ipſe JUNCKERUS diapnoicæ Methodi patronus, laxantiumque in exanthematicis inſignis oſſor, cum i) febres urticatas, ſcarlatinas, & morbillos cum petechialibus convenire, & tantum ratione exanthematum differre k), & febres petechiales ad catarrhales pertinere conveniat, in quibus diarrhœas *) moderate ſuccedentes non modo non noxias habet, ſed licet morbum non ſolvant, attamen tolerabilem reddere, monet, nonne concedat? Quodſi autem in morbis bilioſis & putridis, ut alvus non ſolum aperta ſervetur ſed & largius ducatur, rationi conſentaneum videatur, eccur in morbis exanthematicis ab eadem cauſa pendentibus id noxium ſit? Bene ergo in Commentariis SWIETENIUS l) monet; *Si autem ſigna docuerint circa præcordia hærere ſordes, a quibus exanthemata fieri dictum eſt, vomitorio vel purgante has educere conducet:* Atque hoc optima rerum magiſtra omnes attentos neque præjudiciis obcœcatos Practicos experientia docet. Inter Auctores, quorum ſcripta Practicis ſemper ſummi fuere ponderis, audiamus FRID. HOFFMANNUM m), apud illum, cum conſtitutionem epidemicam anni 1700 deſcribit, ſequentia notatu digna legimus: „In univerſum advertimus, præ„ſertim hoc anno, ſemper tutius & melius fuiſſe cum ægris, „quan-

f) J. A. D. TISSOT Diſſertatio de febribus bilioſis.

g) CORN. ALB. KLOEKHOF Hiſt. febris Epidem. Culenburgenſium.

h) GEORG. ROEDERERI opuſcula. Med. T. I. de morbo mucoſo.

i) Quo ſupra. Tabulæ 74. pag. 595.

k) Ibidem. Tab. 71. pag. 580. *) 571.

l) Gerad. v. SWIETEN Comment. in aphoriſ. BOERHAV. T. II. p. 408.

m) FRID. HOFFMANNI obſervat. Meteorologica. & epidem. Hallenſ. p. 103.

„quando alvus fuit lubrica, & fluida, & tali modo petechiales „& purpuratæ plurimæ ſanatæ fuerunt, quod alias vulgari „practicorum opinioni minus reſpondet, qui alvi fluxus petechialibus ſuccedentes undequaque funeſtos proclamant; & „certe peſſimus mos eſt, & multi hoc pacto moriuntur, quod „non modo ſiſtant diarrhœas ſponte provenientes, ſed & ſudoriferis curam abſolvere intendant. In febribus hoc anno „graſſantibus tam exanthematicis, quam ſine illis, clyſteres „& convenientia laxantia præſtantiſſimam & quaſi divinam „tulerunt opem„. Eandem quoque in exanthematicis laxandi neceſſitatem præſtantiſſimus obſervator HUXHAM perſpexit: „Non ventriculus ſolum (in libro de febribus inquit) *) ſed „totus inteſtinorum canalis ſub febris (Exanthematicæ ſcl.) „initia evacuari debet. Ego vero experientiam & rationem, „hoc efficiendi methodo moderatiore, demonſtrare neceſſitatem pro certo habeo: Tali ratione ſollicitudo me non tenet, „quin vomitum, aut unam aut alteram alvi dejectionem promoveam, quando illud quocunque febris tempore, guſtu „oris amaro, ventriculi ægritudine, ructibus nitroſis, fœtidis, „nimia alvi obſtipatione, abdomine tumido, borborygmis, „doloribus vellicantibus, cæterisque indicatur.

Et optimum hujus methodi effectum ELLERUS n) atteſtatur, cum enim ad modum febrium malignarum, quas annis 1726, 1736, 1741, 1757 & 1758. obſervavit, generalem nobis febris malignæ, ad quam purpuram rubram, albam, veſicularem, & petechias refert, deſcriptionem ſiſtat, (bene notat) „Si humorum colluvies cum bile corrupta in inteſtinis „accumulata eſt, quæ flatibus fœtidis, ſpaſmodica abdominis „tenſione, colicisque doloribus, & diarrhœa quandoque ſpumeſcente olida indicatur, educenda ſtatim eſt laxante debili, „& poſtquam graviſſima indecurſu morbi ſymptomata expoſuit, ſubjungit pag. 127. „præcaventur aliquo modo ejusmodi periculoſiora, ſi ſtatim ſub febris ingreſſum tractus „inteſtinorum, a ſaburra fœcum, a miaſmatis contagio, & bile

*) Cap. VIII. pag. 108.

n) Quo ſupra pag. 121.

„putrida infectorum blande purgetur, & in morbi decursu „nova, corruptæ hujus materiei collectio clismatibus hinc in„de eluatur„.

Atque haud pridem catarcticorum præstantiam in petechiali morbo CAR. STRACK commendavit, qui horum efficaciam centum morborum historiis corroboravit. Neque me hæc medendi ratio fefellit unquam, cum enim superiore anno gravis hujus morbi epidemia vigeret, omnibus, qui meæ se commiserant curæ, pro diversa indicatione & catarctica & emetica præscripsi; quod omnibus profuit, pluresque a gravissimo liberavit periculo. Ad juvenem undecima morbi die accersor, gravissimo hypochondrii dextri dolore tenetur; anxie brevem ducit spiritum; maximus extat artuum languor; frigido totum corpus sudore madet; pulsus parvus, celer & inæqualis est, adeo dolent fauces, ut ne guttula quidem deglutiri possit; lingua arida fusca est, & excoriata, totamque cutim maculæ atro purpureæ obsident; acre clisma injicitur, fœtidissimæ sordes prodeunt; clisma ordinarium omni bihorio ordinatur, æque fœtida prodeunt, elapsis 24 horis jam libera, licet molesta adhuc, est deglutitio, dolor hypochondrii minuitur, atque respiratio facilius succedit, potio emetico catarctica hauritur, sursum ac deorsum putridissima expelluntur; mitiora adhuc fiunt symptomata; decoctum ex Tamarindis cum crmore ♀ri tertia die successive assumitur; jam fluente alvo omne periculum abest, quarta a medicatione die morbus larga & fœtente diarrhœa solvitur.

In febre miliari, cum aliis laxantia ALLIONIUS o) commendat, „Corruptiva humorum indoles, ait, non modo ad„hibitionem subacidorum requirit, verum etiam, ut corrupta „alvo exonerentur; viam monstrante natura, quæ sæpe eo in „casu, cum ægri utilitate e corpore eliminat biliosa fœtidissi„ma„. Quod & propria me toties experientia docuit. Gravissime hyeme elapsa puerpera, ex qua more solito plumis, atque ardente foco sudor eliciebatur, miliaribus per octiduum ne-

o) Ut supra pag. 102.

neglectis decumbit: magna est præcordiorum angustia, maxima respirandi difficultas, plena circa proprium morbum incuria, agrypnia, frequentissima lypothimia, tensum abdomen, alvus adstricta, sudore exhauriente, acidum spirante difluit, aquea prodit urina, intensa sitis est, pulsus parvus celer, contractus. Meo jussu extinguitur focus, levi obtegitur stragulo, indies per apertas fenestras aër renovatur, liberali manu acida mineralia porriguntur, parum vini potui admiscetur; indies clismate ad minimum semel alvus solvitur; atque tantum abest, ut inde pustulæ miliares recedant, ut potius copiosiores, ast sine gravi symptomate, erumpant, atque tali medicatione tandem integre convaluit. Et quantum alvi ductiones in variolis valeant, præter AVICCENNAM p) SYDENHAMUM q) BOERHAVIUM r) MEADUM s) ROSENSTEINIUS t) TISSOTUS u) viri, quorum auctoritas in Medicina semper maxima erit, aliique quam plures testantur. Verum jam me angusti harum pagellarum limites intra cancellos revocant; gravissimam quare materiem maturis dignissimam lucubrationibus, ad aliud tempus relinquo; atque jam publice commendandum habeo Doctissimum Medicæ Laureæ Candidatum

FRANCISCUM ZUCCARINI

AA. LL. & Philosophiæ Magistrum. Satrapiæ Mosbacensis Physicum Adjunctum.

Hic in nostra Academia Docentibus Celeberrimo OBERKAMPIO Praxeos, Materiæ Medicæ ac Formularum; Clarissimo GATTENHOFFIO Institutionum, Materiæ Medicæ, & Praxeos; Nobis autem Anatomiæ, Chirurgiæ & Medicinæ forensis fundamenta posuit, emensoque studiorum cursu, examinibus nostris se subjecit, quibus superatis, summos in Medicina honores

p) AVICEN. Canon. lib. IV. Fen. I. Tract. IV.

q) THOM. SYDENHAM Processf. in morbis fere omnibus.

r) BOERH. aph. §. 1394. 1412.

s) Von Kinder-Blattern.

t) Abhandl. von Kinder-Kranckheiten.

u) De Variolis apoplex. & Hydrop.

nores honeſte petens, iisque dignus a facultate habitus, ut condecoretur, noſtrisque ſatisfacturus ſtatutis, ſub præſidio Clariſſimi Collegæ GATTENHOFFII, Profeſſoris publici & ordinarii Diſſertationem de *Hypochondriaſi*, præmiſſa lectione curſoria de Uſu Catarcticorum in variolis ventilabit.

Quem actum, ut Magnificus Academiæ RECTOR, Illuſtris PROCANCELLARIUS, Graviſſi Senatus Academici PROCERES, Hoſpites omnium ordinum litteratiſſimi, Civesque inprimis noſtri Generoſiſſimi & Nobiliſſimi ornare velint, quam humaniſſime rogo. D. in Univerſitate Palatina die Febr. A. D. MDCCLXIX.

(L. S.)